DE

M. IUNIANI IUSTINI CODICIBUS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLPHUS BRUENING,

GUESTFALUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

MDCCCXC.

PARENTIBUS SACRUM.

Ingentem codicum copiam librorum Iustini primus summa industria et accuratissima diligentia composuit atque in ordinem redegit Franciscus Ruehlius, vir de illo 'breviatore' optime meritus, libro, qui inscribitur: Die Textesquellen des Iustinus, Leipzig 1872, et in praefatione editionis suae anno 1886 emissae, in qua etiam rationes criticas, quas in recensendis verbis scriptoris secutus sit, uberius exposuit. Cum Duebner[1] et Ieepius,[2] editores superiores, ad restituendum textum imprimis adhibuissent libros quosdam manu scriptos, quos Ruehlius classi, quam vocat Transalpinam (T), assignavit, ille homo doctus totius recensionis fundamentum constituit duo codicum genera, quorum alterum repraesentatur uno mutilo codice Laurentiano 66. 21, olim Casinate (C), saec. XI, qui vulgo Mediceus 2 appellatur. Omnes ceteros codices, quos communi parente ortos in unum gregem inclusit, in tres familias divisit, quarum primam Italicam (J) nominavit, secundam Transalpinam, tertiam littera *Π* signavit.[3]

Codicibus ita digestis discernit recensionem librorum decem quinque priorum et librorum posteriorum: in illis dicit deficiente C

---

[1] Iustini historiae Philippicae. Brevi adnotatione critica et historica instruxit Fridericus Duebner. Lipsiae 1831.

[2] Iustinus. Recensuit Iustus Ieep. Lipsiae 1859.

[3] De differentiis uniuscuiusque classis legas, quae Ruehlius dicit in Textesqu. pag. 5 sqq. et in praefat. ed. pag. V sqq. In hac (pag. IX sqq.) enim primo de *Π* classe, quam tempore, quo Textesquellen scripsit, nondum noverat, uberius disputavit, tametsi iam in h. l. pag. 58 sq. certa vestigia illius codicum familiae in libris non nullis manu scriptis recentioribus inesse ostenderat. Item in eadem praefatione (pag. XIII sqq.) iudicium suum de C auctoritate, cui in Textesqu. non magnam fidem tribuerat, ita mutavit, ut eum codicem corruptum quidem, sed haud minoris pretii quam archetypum J T *Π* esse confirmaret.

testimonio Orosium presbyterum Hispanum, qui Iustini epitomen saeculo quinto in historiarum adversus paganos libris septem ad verbum fere descripsit, nobis testem locupletem verborum scriptoris esse, in his autem, ubi Orosius cum paucis tantum libris conferri potest, ad C fidem recensionem textus esse dirigendam.

In libris posterioribus igitur recepit Ruehlius lectiones, quae leguntur in CJ aut CT aut C *Π*. Cum codicis C scriptura discrepat cum verbis, quae traduntur consensu JT*Π*, ille vir doctus, ut ipsius verbis utar, *„suum iudicium secutus est; ubi certa ratio deerat, ἐκλογὴν lectionum fecit, plerumque tamen* J T *Π* *secutus."* (praef. pag. XIII.)

Recensionem librorum priorum ita instituit, ut variantibus scripturis lectiones JT et J*Π* traditas sumeret, quibus archetypum librorum manu scriptorum generis alterius effici putavit, iis locis autem, ubi T cum *Π* faceret contra J, poneret scripturam per Orosium probatam, exceptis eis locis, ubi eius verba corrupta esse pateret. Ubi Orosii testimonium deest, suo iudicio scripturam germanam invenire studuit, sin autem ex ipsa re commendatio non accedebat, J lectionem recepit. Existimavit enim *Π* cum T originis communione copulatam esse contra J. Praeter Orosium paucis tantum locis aliorum scriptorum, qui Iustinum exscripserunt, subsidio utitur.

Primus rationem, qua Ruehlius verba breviatoris restituit, Petschenigius[1], vir doctus, impugnavit, cum C scripturas consensui JT*Π* esse anteponendas negavit et compluribus lectionibus prolatis praestantiam secundi codicum generis demonstrare studuit. In textu recensendo enim Ruehlius, quod quidem ex selecta lectionum collatione, quam nobis in praef. pag. XVIII—LI proponit, videre possimus, plerumque scripturam C lectioni ab JT*Π* traditae praetulit.

Contra mihi ille editor eo a vero aberrasse videtur, quod in emendandis atque ad integritatem revocandis Iustini verbis spreta T*Π* conspiratione J scripturas recepit. Nam in hac re longius processit, quam ex verbis praefationis statui potest, cum secundum supra commemoratam collationem 135 locis J, 24 tantum T*Π* lectionem sumpserit, reliquis 32 locis alia supposuerit.

---

[1] Zeitschrift für die österr. Gymnasien. 38. Jahrg. pag. 440.

Postremo silentio non praetereundum existimavi Ruehlium, ut iam Petschenigius l. l. commemoravit et exemplis allatis confirmavit, nimis temerarie infinitis locis, quorum partem in sequentibus tractabo, pro lectionibus codicum haud dubie bonis et iustis coniecturas proprias aut aliorum conamina mea sententia eo consilio recepisse, ut verba scriptoris congruerent cum rebus gestis ab aliis testibus memoriae proditis, quasi omnia, quae Pompeius Trogus vel Iustinus scripserunt, prorsus absoluta fuissent, neque illi historici in tradendis nominibus aut rebus errare potuissent. Sed de singulis suo loco uberius disputabo.

Quae cum ita sint, non inutile esse arbitror ad codicum Iustinianorum universam condicionem explorandam novam habere quaestionem, ut cognoscamus, iurene Petschenigius C codici fidem abrogaverit, atque secundae codicum stirpis ratio, quam constituit Ruehlius, omni ex parte sit probanda.

E duobus igitur partibus tota commentatio constabit, quarum priore, quanti sit habendus codex C, agam, altera, qua ratione codicum classes secundi generis inter se coniunctae sint.

Pars prior.

De fide codicis C.

Ad codicis C, de cuius indole iam Ruehlius longius disputavit[1], auctoritatem investigandam primus testis advocandus est Paulus Orosius[2], qui omnino in reficienda librorum Iustini integritate maximi ponderis est. Quem scriptorem ecclesiasticum, quia cum nulla quattuor codicum classium sola consentit, sed locis compluribus modo cum C, modo cum J aut T aut *Π* conspirat, multa praeterea exhibet, quae libri manu scripti Iustini, quos habemus, non tradunt, proprium locum inter testes verba illius epitomatoris memoriae prodentes obtinere manifestum est. Cum porro codices,

[1] Cf. Textesqu. pag. 5 sq., pag. 37 sqq., pag. 56 et praefat. ed. pag. V, pag. XIII sqq.

[2] De auctoritate Orosii in verbis Iustini recensendis vide disputationem Ruehlii in Textesqu. p. 30 sqq.

quorum fundamento textus Iustini nititur, omnes non priore, quam saeculo nono, Orosii autem historiarum libri iam saeculo quinto scripti sint, ille presbyter etiam antiquissimam traditionem praebet. Itaque ego Ruehlio, qui ad codicum Iustini fidem cognoscendam Orosii auctoritatem ita adhibet, ut omnibus locis, ubi Orosius cum aliqua codicum classe convenit, verba per illum scriptorem commendata in textu ponat, nisi aliae causae ex locis ipsis ductae officiant, plane assentior.

Atque C quidem, quamquam in paucis tantum libris[1] comparatio fieri potest, permultis locis cum Orosio facit contra consensum J T *Π*, cum codices alterius generis nunquam cum Orosio contra C congruant.

Eiusmodi exempla sunt haec[2]:

XVIII 7, 1 aversis C Oros. IV 6, 6.
adversis J T *Π*.

XVIII 7, 7 exulum C Oros. IV 6, 8.
exulis J T *Π*.

XIX 2, 8 non secus, ac si urbs ipsa capta esset, maesta civitas fuit. Omnia ululatibus personabant. C.
non secus, ac si capta esset, turbata civitas fuit. Omnia ululatibus personabant. Oros. IV 6, 11.
maesta civitas fuit: omnia ululatibus, non secus ac si urbs ipsa capta esset, personabant J T *Π*.

XIX 3, 1 et ipse C Oros. IV 6, 14.
inops J T *Π*.

XX 5, 8 Mediolanium C Oros. IV 13, 15.
Mediolanum J T *Π*.

---

[1] Libri illi enotati sunt in Caroli Zangemeisteri edit. Orosii Vindobonae 1882. pag. 695.

[2] Quamquam nonnulli loci iam a Ruehlio prolati sunt (Textesqu. pag. 37), tamen ad rem perficiendam omnia eiusmodi exempla ex illius viri docti adnotatione critica enumerare operae pretium putavi, ea potissimum causa commotus, quod multa selecta Ruehlii collatione lectionum a. 1886 publici iuris facta et reperta classe *Π* mutata sunt, atque egregia Zangemeisteri editione textus Orosii nunc demum constitutus est. Praeterea commemoro me ubique, nisi aliud dico, cum Ruehlio lectionem, quae nititur fide Orosii, comprobare. Omnino ex silentio meo concludas velim, etiam in illius viri editione inveniri scripturam a me laudatam.

XXI 4, 7	poena exigeretur C Oros. IV 6, 19.
	poenae exigerentur J T *Π*.
XXI 6, 1	facundia sollertiaque C Oros. IV 6, 21.
	sollertia facundiaque J T *Π*.
XXII 6, 6	Ĩl· d· de pęnis C
	quem (sc. Hannonem) cum duobus milibus suorum interfecit Oros. IV 6, 25.
	tria milia de Poenis J T *Π*.
XXII 7, 7 } 7, 9 }	Amilcar C.
	Hamilcar Oros. IV 6, 32.
	Vomilcar J T *Π*[1].
XXII 7, 7	dux C Oros. IV 6, 32.
	rex J T *Π*.
XXX 4, 6	Bactrianos C Oros. III 23, 44.
	Bactros J T *Π*[2].
XXXII 2, 7	Persen C Oros. VII 2, 9.
	Perseum vel Persaeum J *Π*.
	lacuna in T[3].
XXXVI 2, 10	responsa C Oros. I 8, 4.
	responsa dari J T.
	omittit *Π*.
XXXVI 2, 11	aũ iosepho moses C.
	Ioseph Moyses Oros. I 8, 5.
	eius Moyses J T.
	deest in *Π*[4].

Semel tantum, quod quidem ex Ruehlii collatione colligere possimus, discrepat C ab Orosio, cum classis quaedam alterius stirpis codicum cum eo consentiat. XXI 4, 7 enim in T reperimus

[1] Cum Ruehlio restituo: „*Bomilcar*“ ex Diod. XX 43.

[2] Cf. Zangemeister. ed. Oros. pag. 715.

[3] Inspicias praef. ed. Ruehl. pag. XLIII.

[4] In editione Ruehlii legimus: „*eius Moyses*“, quae verba magnam movent suspicionem interpolationis. Vera lectio quaerenda est mea sententia ex C et verbis Orosii, cui hoc loco eo maior auctoritas tribui potest, quod hic verbis Pompei Trogi eiusque breviatoris ipsis, ut scripta sunt, utitur. Fortasse scriptura C vera est.

(explicatur supplicium Hannonis): „*corpus verberibus lacerum in crucem figitur*“, in Oros. IV 6, 20 „*corpus verberibus lacerum cruci suffixum*“, cum C pro „*lacerum*“ exhibeat: „*laceratur*“, J *Π*: „*laceratum*“. Postremam scripturam Ruehlius recepit non sibi constans, quoniam aliis multis locis Orosii lectionem, etsi omnes codices Iustini aliud tradunt, sine idonea causa praeponendam esse censuit. Concedo sane hoc loco certum facere iudicium difficile esse, sed tamen puto nos ratione cogi scripturam T et Orosii probare.

Alius locus in XXI 6, 1, ubi a Ruehlio scriptum est: „*Rhodanum*“ ex Oros. IV 6, 21, cum T *Π* habeant: „*rodanum*“, J: „*ronannum*“, contra C, in quo legimus „*phodanum*“, argumento esse nequit, immo vero testis C praestantiae adhiberi potest, quod praeter illam lineolam scripturae, quae dicitur maiusculae, neglectam hic codex ab Orosio minus discedit quam J T *Π*.

Vel ex hac comparatione, qua auctoritas C insigniter confirmatur, efficitur illum codicem multo antiquorem recensionem repraesentare quam secundum librorum manu scriptorum genus. Sed possunt etiam alia multa indicia magnae C dignitatis proferri, et maximi quidem momenti ad veritatem stabiliendam sunt loci, in quibus J T *Π* una diversam a C praebeant lectionem, ex sententiarum ratione vel usu loquendi Iustini autem pro certo colligi possit scripturam C esse veram et iustam.

Sed tractemus singula:

XVI 1, 15 „*Cassandrum vero patrem, exstinctorem regiae domus, non feminis, non pueris pepercisse nec cessasse, quoad omnem s t i r p i s r e g i a e s u b o l e m deleret.*“ Sic in C, in J T *Π* inest: „*stirpem regiae subolis*“. Prior lectio praeferenda est propter morem dicendi scriptoris, quo ubique „*stirpem*“ vocabulum intelligit tamquam „gentem“, „familiam“ ut VII 2, 4; XVI 2, 5; XVII 1, 3; XXVII 2, 11; XXXVII 4, 8, „*subolem*“ vocem autem omnibus locis (II 3, 16; XII 4, 11; XVIII 5, 5; XXXII 3, 16; XXXVI 1, 8) tamquam „progeniem“ vel „liberos“, nusquam autem mutata significatione. Similem locutionem usurpant etiam Livius in XXXIX 24 et Curtius in IV 14.

XVII 1, 11 de Lysimacho et Seleuco regibus dicitur in C: „*Sed in hac aetate utrique animi iuveniles erant imperiique cupidi-*

tatem insatiabilem gerebant; quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent, angustis sibi metis inclusi videbantur vitaeque finem non annorum spatio, sed imperii terminis metiebantur“; J T *Π* tradunt: „*angustiis sibimet inclusi*“. Sed cum Iustinus sine exceptione verbum „*angustias*“ pro „faucibus“, nullo loco pro „artis finibus“ ponat — loci, ubi haec vox invenitur, sunt: I 8, 10; II 11, 2; 12, 18; IV 5, 6; VI 7, 3; VIII 2, 8; 4, 12; IX 6, 4; XI 8, 2 — sequendus est C. Eadem vi utitur „*metae*“ substantivo etiam Valerius Maximus VIII 7, ext. 10 et Statius Silv. V 3, 255. Mendum fortasse ita natum est, ut, postquam librarius, cuius oculi ab „*i*“ littera ultimae syllabae vocis „*metis*“ aberravissent ad primam litteram sequentis verbi, illam syllabam praetermisit, interpolator postea „*i*“ in „*angustis*“ bis posito locum corruptum sanare studeret.

XVII 3, 3 in digressione de origine Epiri regni narrationi intexta exhibet C: *Molossorum primum in ea regione regnum fuit, quos Pyrrus, Achillis filius, amisso per absentiam Troianis temporibus paterno regno in his locis condidit. Qui Pyrridae primo, postea Epirotae dicti sunt,*“ cum J T *Π* pro „*quos*“ „*post*“ et pro „*condidit*“ „*consedit*“ substituant. Sed duabus de causis scriptura codicum alterius generis reiicienda est, primum propter formam grammaticam, quod illud „*qui*“ post „*consedit*“ non habeat, quo referatur, tum propter rerum cohaerentiam. Refert enim Strabo VII 7, 8 *καὶ τῶν Ἠπειρωτῶν δὲ Μολοττοὶ ὑπὸ Πύρρῳ τῷ Νεοπτολέμῳ τοῦ Ἀχιλλέως καὶ τοῖς ἀπογόνοις αὐτοῦ, Θετταλοῖς οὖσι, γεγονότες.* Ad haec autem optime quadrat lectio C, in qua illa duo pronomina relativa ita alterum iuxta alterum positum offendere non debent, cum pariter dictum sit etiam XII 8, 6, 7, et abbreviatoris manus hac re indicetur. „Condere“, quod significat: „auctorem esse“, habes etiam II 6, 11; XII 9, 2; XX 5, 9[1]. Vitium illud in archetypo J T *Π* facile eo modo oriri potuit, ut aliquis voce „*primum*“ adductus pro „*quos*“ id, quod est „*post*“, interponeret.

XVIII 3, 18 Iustinus narrata caede, quam servi Tyri intulerant dominis suis, adicit: „*Itaque Alexander Magnus, cum interiecto*

[1] Cf. Frid. Borchardt. Quaestiones Iustinianae. Gryphiswaldiae 1875, p. 18.

tempore in Oriente bellum gereret, velut ultor publicae securitatis, expugnata eorum urbe omnes, qui proelio superfuerant, ob memoriam veteris s c e l e r i s *crucibus adfixit."* Pro *„sceleris"* scriptum est in J T *Π* *„caedis"* haud dubie ex interpretatione quadam ad explicandam vocem *„scelus"* in textu archetypi communis apposita exortum.

XXI 5, 1 legimus in C: *„Interea Dionysius Syracusis* r e c e p t i s, *cum gravior crudeliorque in dies civitati esset, iterata conspiratione obsidetur"*, in ceteris codicibus: *„receptus"*. Omnem dubitationem, quae sit vera scriptura, tollit XXI 3, 10 *„Ibi Syracusas securis omnibus post longam intercapedinem pacis per proditionem recepit."*

XXII 2, 6 in C leguntur: *„Qua spe inpletus Hamilcar societatem cum eo* m u t u a e *potentiae iungit, ut quantum virium Agathocli adversus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticae potentiae reciperet"*, in J T: *„metu eius potentiae"*, in *Π*: *„metu potentiae eius"*. Archetypi secundi generis codicum lectio, quae sine dubio efficitur scriptura J T, plane perversa est, quod illa verba prorsus discrepant cum vocibus: *„qua spe inpletus"*. Nam is, qui sperat, non metuit. Omnino deinde abhorrent a totius narrationis cohaerentia. Timor enim certe non Hamilcaris, sed potius Agathoclis erat, qui a Poenorum vi oppressus ad ducem eorum sibi conciliandum precibus usus esset. Nihil aliud autem nisi: *„mutuae potentiae"* a Iustino scriptum esse ostendunt luce clarius verba *„ut quantum virium"* e. q. s., quae ipsa continent illarum vocum explicationem.

XXIII 2, 1, ubi sermo est de Agathoclis ad compescendos Bruttios et fines regni sui propagandos in Italiam aditu, in C scriptum invenimus: *„P r i n c i p i o o p i n i o n i s a d v e n t u s e i u s concussi legatos ad eum societatem amicitiamque petentes miserunt."* in J T *Π* *„principio adventus opinionis eius"*. Cum iam primo aspectu liqueat, ordinem verborum in C antiquitus esse servatum, — de *„principio opinionis"* cf. V 1, 11; VII 6, 3; XX 2, 3 etc.[1] — multa verba facere supersedeo. Ceterum violenti editorum ante Ruehlium conatus emendandi aperte docent locum illum nisi adhibito codice C nunquam fortasse recte sanatum esse.

[1] Inspicias Otto Eichert, Vollständ. Wörterbuch z. Philipp. Gesch. des Justinus. Hannover 1882, pag. 144.

XXV 4, 3 habet C (exponuntur Pyrri mores): „*Sed ut ad devincenda regna invictus habebatur, ita devictis adquisitisque celeriter excidebat*". „*Carebat*" verbum, quod tradunt ceteri libri manu scripti, speciem explicationis ad insolentem vocem „*excidebat*" ascriptae praebet. Vocabulo „*excidendi*" vis, quae hic desideratur, aliquid amittendi subiecta est etiam Terent. And. II 5, 12, Propert III. 7, 7, aliis locis.

XXXI 2, 4 Iustinus, postquam Hannibalem ad fugam e patria perficiendam villam suburbanam ad litus maris sitam petivisse narravit, addit: „*Habebat ibi navem cum remigibus occulto sinu litoris absconditam.*" Ita praebet C, JTΠ: *naves ... absconditas.*" Pluralis numerus autem ideo non est conveniens, quod postea in paragr. 5 unius modo navis mentio fit, ut omittamus difficultatem complures naves occultandi.

XXXI 3, 1: „*Interim in Graecia Flamininus iuncta cum quibusdam civitatibus societate Nabidem tyrannum duobus continuis bellis (JTΠ „pugnis") subigit.*" Sine ulla dubitatione „*pugnis*" interpretatio aliena habenda est. „*Bellum*" pro „*proelio*" vel „*pugna*" etiam positum est I 8, 7; II 4, 29; 12, 23; VI 7, 10; XI 9, 3; XVIII 1, 11; XXII 8, 8; XXIV 8, 1[1].

XXXI 4, 8 in C leguntur (agitur de legatorum a Romanis ad Antiochum missorum cum Hannibale, qui regis hospitio utebatur, conloquiis, in quibus Poenum blanditiis in suas partes trahere studebant): „*Quorum sermone laetus saepius cupidiusque cum legatis conloquebatur, ignarus quod familiaritate Romana odium sibi apud regem crearet.*" Archetypi secundae codicum familiae lectio, quae traditur in JΠ, „*quarum*" (T „*quare*") hic non convenire unusquisque intelligit.

XXXI 5, 5 in oratione, quam Hannibal ab Antiocho in concilium amicorum advocatus habuit, haec de ratione belli cum Romanis gerendi dixit: „*Aliis bellis plurimum momenti habere priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisve, agros rapuisse, urbes aliquas expugnasse; cum Romano, seu occupaveris prior aliqua seu viceris, tamen etiam cum victo et iacente luctandum esse.*" Pro „*temporisve*"

---

[1] Cf. Ioh. Frid. Recke. Ueber die Spracheigentümlichkeiten Iustins. Progr. v. Mühlhausen 1854, s. v. „*bellum*".

legitur in J T *Π* *„temporisque“*, quod sententiae minus accommodatum est. Ex verbo enim *„aliquam“* mihi manifesto elucere videtur scriptorem particula *„ve“* usum esse, cum non semper occasio temporis una cum occasione loci accidat.

XXXII 2, 1 cognomen Iovis in C solo recte servatum est. Huius enim codicis scripturam *„Elymaei“* defendunt Diod. Sic. XXVIII 3 et Strab. XVI 1, 18, apud quos idem regis Antiochi sacrilegium commemoratur. In communi fonte ceterorum codicum a librario, qui fortasse cogitaverit de celebri illo Apollinis Didymei templo apud Miletum sito, scriptum est: *„Didymei“*.

XXXIV 1, 5 traditum est in C: *„Sed legatis occulta mandata data sunt, ut corpus Achaeorum dissolverent singulasque urbes proprii iuris facerent, quo facilius et ad o b s e q u i a cogerentur et, si quae urbes contumaces essent, fatigarentur.“* Lectionem huius codicis *„obsequia“* scripturae J T *Π* *„obsequium“* praevalere ostendit luce clarius Iustini mos loquendi, quo secundum poetarum usum aliquoties pluralem numerum posuit, ubi singularem exspectamus cf. XIII 2, 14; XXII 2, 8 e. q. s.[1]

XXXIV 2, 7 in C invenimus: *„Dum haec aguntur, rex Syriae Antiochus Ptolomeo, maiori sororis suae filio, regi Aegypti, bellum infert, segni admodum et cotidiana luxuria ita marcenti, ut non solum regiae maiestatis officia intermitteret, verum etiam sensu hominis nimia sagina careret“*, in J T *Π* *„maioris“*. Ut ex verbis, quae sequuntur, *„Pulsus igitur regno ad fratrem minorem Ptolomeum Alexandream confugit“* patet, *„maiori“* vera scriptura est cf. Liv. XLIV 19.

XXXIV 4, 1 gravissimam interpolationem in archetypo alterius codicum stirpis deprehendimus. Cum enim exhibeat C: *„Eodem fere tempore Prusias, rex Bithyniae, consilium cepit interficiendi Nicomedis filii, q u e m a s e a b l e g a t u m, s t u d e n s m i n o r i b u s f i l i i s, q u o s e x n o v e r c a e i u s s u s c e p e r a t, Romae habebat“*, J T *Π* tradunt: *„Nicomedis filii, dum c o n s u l e r e s t u d e t m i n o r i b u s f i l i i s, q u o s e x n o v e r c a e i u s s u s c e p e r a t et Romae habebat“*, nisi quod T tres ultimas voces omittit. Vel cum scripturae discrepantias strictim legimus, facile perspicimus verba *„quem a se*

[1] Cf. Frid. Fischer. De elocutione Iustini. Halis Saxonum pag. 53 sq.

ablegatum" nullo modo notam interpolationis prae se ferre, immo potius voces „*dum consulere studet*", quibus pro consuetudine interpolatoris brevis locutio „*studens*" longius expressa est, in textum Iustini praetermissis illis vocabulis irrepsisse, et postea ad coniungenda verba finita sententiae secundariae particulam „*et*" insertam esse. Scripturam C praeterea tuentur testimonia Appian. bell. Mithr. 4 et Zonar. annal. IX 28, qui item Nicomedem regnante Prusia Romae vixisse narrant.

XXXIV 4, 3 loquitur scriptor de eodem Nicomede, qui ab amicis de consilio patris certior factus et admonitus erat, ut patris insidias ipsum aggrediendo eluderet: „*Igitur cum tacitus in regnum patris venisset, statim rex appellatur*". Haec leguntur in C, ceteri codices habent „*accitus*". Quoniam autem iam antea explanatae sunt adhortationes amicorum, quibus eum ad reditum in patriam commovere studuerant, „*accitus*" plane supervacaneum est et orationem languidam facit. Multo aptius ad totam rem declarandam illud „*tacitus*" est, quia ad occupandas insidias patris filio occulto atque silentio rem gerere accommodatissimum erat. Accedit quod apud Iustinum in simili rerum cohaerentia hoc vocabulum usitatum est, ut his utar V 1, 2; XXI 2, 8; XXXI 2, 8; XXXVII 3, 4; XXXVIII 8, 11 etc.

XXXVI 4, 7 (sermo est de Aristonico, notho Eumenis, regis Pergami): „*Cum multa secunda proelia adversus civitates, quae metu Romanorum tradere se ei nolebant, fecisset iustusque iam rex videretur, Asia Licinio Crasso consuli decernitur* etc." Petschenigius lectionem alterius generis codicum „*eidem*" defendere studet vocabulo „*eisdem*" in XXXVIII 3, 1: „*Erat eo tempore Tigranes, rex Armeniae, obses Parthis ante multum temporis datus nec olim ab eisdem in regnum paternum remissus.*" Sed cum illo loco vis, quam habet pronomen „*idem*", omnino non quadret, hic „*eisdem*" idcirco positum est, quod in duobus huius enuntiati membris contrarium quoddam inest.

XXXVII 1, 2 traditum est in C: „*Post haec regibus, qui adversus Aristonicum auxilia tulerant, praemia persoluta: Mithridati Pontico Phrygia maior, filiis Ariarathis, regis Cappadociae, qui eodem bello ceciderat, Lycaonia et Cilicia datae.*" Scriptura fontis codicum alterius generis: „*Syria*", quae retenta est a T*Π*, pro

„Phrygia“ — J classis libri manu scripti varias quidem lectiones, verum tamen omnes *„Syria“* exhibent — falsam esse demonstratur XXXVIII 5, 3 et Appian. bell. Mithr. 12.

XXXVIII 4, 7 in oratione Mithridatis edidit Ruehlius ex C: *„Audire populos transalpinae Galliae Italiam ingressos maximis eam plurimisque urbibus ** et possidere latius aliquanto [solum] finium, quam in Asia, quae dicatur inbellis, idem Galli occupavissent“*. In J T *Π* inest: *„pluribusque urbibus possidere et“*. Superlativum propter antecedens *„maximis“* restituendum esse, atque collocationem verborum *„et possidere“* idcirco in archetypo codicum secundae stirpis immutatam esse, ut id, quod est *„eam“*, habeat, quo pendeat, vel minus acriter inspicienti patet. Ceteroquin ego in Ruehlii ratione, qui illis stellulis duo verba deesse indicat, acquiesco, cum etiam mihi „florentem expugnasse“ vel „deletis vastasse“ vel simile aliquid requiri videatur, coniecturam autem probabilem neque ab aliis viris doctis factam invenerim neque ipse ex meo ingenio proferre potuerim.

XXXVIII 4, 10 dicit Mithridates de Gallis, qui Italiam subegerant, et iis, qui Asiam tenebant: *„Tantoque his acriora esse quam illis ingenia, quo“* (ita scriptum est in C) *„longiore ac difficiliore spatio per Illyricum Thraciamque prodierint, paene operosius transitis illorum finibus quam, ubi consedere, possessis.“* Familia altera codicum praebet pro *„quo“* *„quod“*, sed perverse, cum nunquam *„tanto“* in sententia primaria posito *„quod“* coniunctio in sententia secundaria respondere possit, verum aut *„quanto“* aut *„quo“*.

XXXVIII 4, 14 C exhibet, quod sine dubio verum est (commemoratur a Mithridate duplex periculi discrimen, in quo Romani versentur): *„nec gravius vicino Italiae bello quam domesticis principum factionibus urbem premi, multoque periculosius accessisse Italico civile bellum“*. Librarius codicis, e quo J T *Π* derivatae sunt, duas syllabas priores verbi *„accessisse“* praetermittens scripsit *„esse“*, quia eius oculi multis *„s“* litteris in vocibus *„periculosius accessisse“* decipiebantur.

XXXVIII 7, 4 in eadem contione: *„Scythae praeter arma virtutemque animi locorum quoque vel solitudinibus vel frigoribus*

instructi, per quae denuntiaretur ingens militiae periculum ac labor." Sic scriptum est in editione Ruehlii secundum C, ceteri codices praebent: „*Scythiae*". Utra lectio praevaleat, apparet manifesto ex verbis: „*arma virtutemque animi*", quae de terra ipsa minus apte dici possint, et ea re, quod in CJ reperitur „*instructi*", cum in T*Π* legamus: „*instructae*".

XLI 1, 10 praebet C: „*Hi* (Parthi) *domesticis seditionibus Scythia pulsi solitudines inter Hyrcaniam et Dahas et Areos et* S p a r n o s *et Margianos furtim occupavere*". Archetypus secundi codicum generis tradit „Sparthanos", quae est manifesta interpolatio. „*Sparnos*" mare Caspium accolentes etiam Strabo XII 7, 1 nominat. Coniectura Gutschmidii „*Apartanos*" pro „*Areos et Sparnos*", quae Ruehlio placet, ne speciem quidem veri habet.

XLII 1, 2. „*Namque Scythae in auxilium Parthorum adversus Antiochum, Syriae regem, mercede sollicitati, cum* c o n f e c t o i a m b e l l o *supervenissent et calumnia tardius lati auxilii mercede fraudarentur, dolentes tantum itineris frustra emensum, cum vel stipendium pro vexatione vel alium hostem dari sibi poscerent, superbo responso offensi fines Parthorum vastare coeperunt.*" Iustus ordo verborum in C falso commutatur in J T*Π*, ubi scriptum legimus: „*confecto bello iam*". Nulla alia enim causa in Scythas serius lati subsidii crimen deferebatur, nisi quod „*confecto iam bello*" advenissent.

XLII 3, 1 utrum forma nominis fratris Medeae in C, qui exhibet „*Aegialeum*", an in J T*Π*, quae praebent „*Aegialium*", recte tradita sit, diiudicatur Cic. de nat. deor. III 48, ubi legitur „*Aegialeus*".

XLIII 3, 10 refert Iustinus duces Phocaeensium, cum ad regem Segobrigiorum foederis faciendi causa venissent, eum in epulis instruendis, inter quas filiam alicui in matrimonium ducendam tradere voluerit, occupatum deprehendisse et pergit: „*Itaque cum ad nuptias invitati omnes* p r o c i e s s e n t, *rogantur etiam Graeci hospites ad convivium*". Pro „*proci essent*" habent JT*Π* „*processissent*", quo verbo de convivis ad cenam invitatis uti non licet. Videtur igitur etiam hic, cum scriptura C ne minimum quidem vestigium interpolationis habeat, codex, ex quo ceterae classes originem ducunt, hoc modo depravatus esse.

Praeter hos locos etiam alii multi proferendi sunt, in quibus melior scriptura in C traditur, ceterae codicum classes autem inter se discrepant, ita ut, quae sit lectio quidem earum archetypi, pro certo affirmari non possit, corruptelam tamen iam in hoc communi earum fonte exstitisse appareat.

XIX 3, 6. Himilco, dux Carthaginiensium, postquam exercitu pestilentia amisso in patriam reversus cives eo solari studuit, quod hostes se vicisse gloriari non posse dixit, subiecit: „*Praedamque, quam*“ (C) „*relictis a se castris abstulerint, non esse talem, quam velut spolium victi hostis ostentent, sed quam possessione vacua fortuitis dominorum mortibus sicuti caduca occuparint*“. Scripturam T *Π* „*praedam*“ non praebere probam sententiam per se facile perspicitur. In lectione J „*sed praedam quamquam*“ autem non modo displicet particula adversativa „*sed*“, cum non contrarium quoddam, verum nova causa, quare hostes clade Poenorum neque gaudere neque gloriari possint, addatur, sed etiam coniunctio „*quamquam*“, quae pariter sententiarum contextum perturbet.

XX 5, 1. „*Igitur Dionysius tyrannus, quem supra a Sicilia exercitum in Italiam traiecisse bellumque Graecis intulisse memoravimus, expugnatis Locris Crotonienses vix vires ex longo otio et prioris belli clade resumentes aggreditur, qui fortius cum paucis tanto exercitui eius quam antea cum tot milibus Locrensium paucitati restiterunt*“. Sic legitur in C, J praebet pro „*ex longo otio et*“ „*longo otio et*“, T *Π* „*longo otio ex*“. Argumenta, quibus commoti scripturam C praestare existimamus, iam Ruehlius attulit in Textesqu. pag. 124.[1]

XXIII 2, 6 unice in C nomen uxoris Agathoclis recte servatum est. Habet enim ille codex „*Theoxenam*“, cum J „*Theonexam*“, T „*Texenam*“, *Π* varia exhibeant. Formam in C traditam esse veram testatur graecum nomen *Θεοξένῃ* et Liv. XL 4, 2.

XXXIX 2, 7. Lectionem C „*Grypos*“ (*γρυπός*, germanice: „Adlernase“) comprobant Plut. Mar. 1 et Athenae. IV 153, b. In J T scriptum legimus „*Gryphus*“, in *Π* „*Gripus*“.

[1] Ut hic lectionem ex T *Π* pro scriptura archetypi secundi generis codicum non accipiam, ea re adducor, quod compendia vocularum „*et*“ et „*ex*“ saepissime in libris manu scriptis commutantur.

XLI 6, 3 exhibet C: „*Bactriani autem per varia bella iactati non regnum tantum, verum etiam libertatem amiserunt, siquidem Sogdianorum et Arachotorum et Drangarum et Areorum Indorumque bellis fatigati ad postremum ab invalidioribus Parthis velut exsangues oppressi sunt*“, in *Π* inest „*et Archadorum*“, J familiae codices dissentiunt inter se, T lacunam habet. Cum Graeci scriptores, ut Strab. XI 8, 8; XV 2, 5; Arrian. Anabas. III 8, 4; 11, 3; Stephan. Byz. ed. Meinek. pag. 110, semper *Ἀραχωτοί* scribant, lectio C satis defenditur.

XLII 3, 9. Etiam hoc loco nomen proprium in codicibus varie traditur. Appellatur enim regio illa, per quam Tigris flumen fertur, in C „*Sofene*“, in J „*Sofona*“, in T „*Sofoena*“ vel „*Sofone*“, in *Π* denique „*Sofena*“. Quid sit scribendum, docet Plin. hist. nat. V 12 et Lucan. II 593, qui formam a C servatam praebent.

Iam possunt alii permulti loci afferri, ubi C scriptura maiorem veri speciem habet quam ceterorum codicum, sive quod illa lectio exquisitior sive quod ad sententiam et scriptoris elocutionem magis conveniens est. Quoniam autem omnia haec exempla, quae ad perscrutandam illius codicis fidem minime nullius ponderis sunt, uberius tractare longum est, breviter ea enumerare mihi proposui: XVI 4, 8 „*vertit*“, 4, 18 „*deletur ... conversum est*“, XVIII 1, 2 „*subegerat*“, 7, 10 „*ausus ne es ait*“, XIX 3, 7 „*pertineat*“, XX 2, 7 „*dei*“, XXI 2, 7 „*arce*“, XXII 3, 4 „*cui ab initio*“, 3, 5 „*aluerint*“, 4, 5 „*ferme partem*“, 5, 12 „*fuisse*“, 6, 5 „*dux Poenorum Hanno*“, 8, 3 „*pulsis Sicilia*“ [1], 8, 6 „*paululum*“, XXIII 2, 2 „*eis*“, 2, 6 „*morbi cura et aegritudo gravior esset*“ [2], XXIV 3, 4 „*templa itineraque*“ [3], 3, 5 „*disponit*“, 6, 6 „*delphici*“, XXX 3, 9 „*redactos*“, 4, 1 „*ripae maris*“, 4, 8 „*Hispanias*“, XXXI 3, 2 „*oppressit*“, 8, 4 „*visendi*“, XXXII 1, 3 „*restiterant ... fregerant*“, XXXIII 1, 2 „*bellum* [4]“, XXXVI 1, 10 „*qui a*“, XXXVII 3, 7 „*gratulationes*“, XXXVIII 2, 6 „*solacium*“, 4, 6 „*obstitisse*“,

[1] Cf. XX 2, 3; XIII 5, 4, 9 etc.; inspicias C. v. Paucker, Über iustinische Syntax. Zeitschr. f. d. österr. Gymnas. 34. Jahrg. 1883, pag. 326.

[2] Videas, quae dicit Ieepius in ed. s. pag. 114.

[3] Diligentius egit de hoc loco Gronovius in ed. s. pag. 916.

[4] Cf. Textesqu. pag. 137.

5, 1 *„quieverit“*, 8, 3 *„fratris“*, XXXIX 3, 1 *„scilicet ne“*, 3, 4 *„fratri“*, 3, 5 *„innupserit“*, 5, 4 *„coartata“*, XLII 2, 2 *„Tocharis“*, 4, 12 *„emittere“*, XLIII 4, 10 *„praetenduntur“*.

Nequaquam porro omittendi sunt loci, in quibus C, cum ceteri codices manifestum interpolationis indicium contineant, verum quidem non tradat, sed tamen vestigia antiquae lectionis servet, ita ut ex his reliquiis germanae scripturae facillima mutatione aptus sensus effici possit. Iam Ruehlius nonnulla traditionis menda C scripturam coniectura emendando sanavit, atque ego ipse unum vel alterum locum eo modo in integrum restituere conatus sum. Liceat mihi illius viri docti emendationes meaque commenta, quippe cum ad perspiciendam C auctoritatem non minoris pretii sint quam loci allati, paulo accuratius hic exponere.

XXXI 8, 5, 6 edidit Ruehlius: *„Nec multo post proelio cum Antiocho commisso, cum inclusa dexteriore cornu“* (scil. hostium) *„legio Romana maiore dedecore quam periculo ad castra fugeret, M. Aemilius, tribunus militum, ad tutelam castrorum relictus armare se milites suos et extra vallum progredi iubet“*, compositam assumens scripturam ex C lectione: *„cum clusa dexteriore cornu legio Romana“*, et ex aperta interpolatione in JT*П*: *„cum in dexteriore cornu pulsa legio Romana“*. Lectionem ab altera stirpe codicum exhibitam plane perversam esse patet enim ex Liv. XXXVII 42, ubi refertur non dextrum, sed laevum cornu ab Antiocho, qui ipse erat in dextro, circumclusum atque in fugam versum esse. Sine dubio in principe omnium codicum illud *„in“* textui superscriptum erat, itaque in alterius familiae archetypum *„in“* addita interpolatione participii *„pulsa“*, in alterius fontem *„clusa“* invasit. Est hoc exemplum luculentum communem codicem, ex quo fluxerunt libri manu scripti secundi generis, ab interpolatore, ut etiam infra uberius demonstrabo, foede inquinatum esse, cum C, ut postea videbimus, magis scribendi erroribus quam temerariis librariorum coniecturis laboret.

XXXI 8, 9, ubi enarratur, quomodo Romani Antiocho devicto se gesserint, Jeepius et Ruehlius secuti T*П* restituendum esse putaverunt: *„Captas civitates inter socios divisere, muneris Romani aptiorem Asiam quam possessiones volupta-*

rias iudicantes; quippe victoriae gloriam Romano nomini vindicandam, opum luxuriam sociis relinquendam.“ J tradit *„minus Romani aptiorem Asiam quam possessiones voluntarias“*, C denique *„muneris Romano aptiorem Asiam quam possessionē“.* Nullam harum lectionum ne mediocriter quidem probabilem sensum praebere tota rerum cohaerentia ostendit. Vult enim scriptor sine ulla dubitatione dicere: Romanos hostibus subactis ea de causa regiones expugnatas inter socios dilargitos esse, quod illos agros Asiae luxuria et ubertate insignes dono alicui dare, quam ipsi possidere maluerunt. Putabant enim se gloria belli contentos esse oportere, neque tam luxuriosas possessiones, quibus victores facile effeminari possent, sibi esse utiles.

Vel primo conspectu liquet hanc sententiam in nulla a codicibus tradita lectione inesse. Praeterea displicet in scriptura T *Π* et constructio verborum *„muneris aptiorem“*, quae nequaquam, ut Ieepius vult, disiungi possunt, et vocabulum, quod est *„voluptarias“*, haud dubie ut explicatio ad verbum *„possessiones“* ab aliquo additum, quoniam possessiones voluptariae non Asiae, quae ipsa est propter divitiarum copiam voluptaria, opponi possunt. Lectio in J servata: *„voluntarias“*, quae omnino hic non quadrat, sine ulla dubitatione ex illo *„voluptarias“* corrupta est. Mea sententia vestigia in C rimando verum eruere debemus. Ac verbum quidem „Romano“ nobis viam verum reperiendi aperte demonstrat. Scribo igitur summa corrigendi simplicitate: *„muneri Romano aptiorem Asiam quam possessioni“* (scil. Romano). Quo facto omnia clara, dilucida. Ita enim non modo optime opponuntur verba *„muneri“* et *„possessioni“*, sed etiam omnia cum iis, quae sequuntur, bene congruunt atque cohaerent.

Longam seriem tentaminum, quae ad locum sanandum facta sunt, et quae accuratius pertractare supervacaneum puto, inspicias in Ruehlii ed. praef. pag. XLII.

XXXVI 3, 2 recte Ruehlius ex C scriptura *„ortorum“* restituens *„hortorum“* scribit: *„Opes genti“* (Judaeorum) *„ex vectigalibus opobalsami crevere, quod in his tantum regionibus gignitur. Est namque vallis, quae continuis montibus velut muro quodam ad instar hortorum clauditur“.* Quin enim haec correctura, quae vix coniectura dici potest, quippe cum *„h“* littera in libris manu scriptis

saepe praetermissa vel falso loco posita sit, ceterorum codicum lectionem prorsus vincat, dubitari non potest. Nam imago *„hortorum“* optime ad vallem, quae ornata est silva frugifera atque amoena, apta et conveniens est, cum *„castra“* eam ob rem hic commemorari non liceat, quod apud Romanos castra nunquam muro, sed semper vallo fossaque cingebantur.

XXXVII 2, 6, quo loco insidiae tutorum Mithridatis memorantur, qui, cum alio modo non potuissent, veneno pupillum perimere studuerunt, ponit Ruehlius ex J T *Π*: *„Quod metuens antidota saepius bibit et ita se adversus insidias exquisitis t u t i o r i b u s remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori potuerit“;* sed ipse dubitans, num verum receperit, cruce inter *„exquisitis“* et *„tutioribus“* posita locum non plane perfectum esse docet et iure quidem, cum et ille comparativus non habeat, quo respiciat, neque ipsum adiectivum „tutus“ accommodatum sit. Etiam hic emendationem e C petendam esse censeo atque illius codicis scripturam „exquisiti sortibus remediis“ paulum littera una adiecta mutans legendum propono: „exquisitis fortibus remediis“.

XXXVIII 1, 7 breviator consiliis Mithridatis per Gordium in patriam reductum Ariarathen iuniorem, regem Cappadociae, regno spoliandi expositis subiungit: *„Quod ubi Ariarathes iunior p e r n u n t i o s cognovit, indigne ferens interfectorem patris per avunculum potissimum ab exilio revocari, ingentem exercitum contrahit“.* Sic Ruehlius scripturam C *„per multos“* recte, ut mihi quidem videtur, correxit. Lectio enim J T *Π* *„moliri“*, praeterquam quod illud verbum passive usurpatum magnam suspicionem movet, omnes interpolationis notas habet.

Item cum eodem editore non scripturam secundi codicum generis *„graviter“*, sed C *„indigne“* probo.

XLII 1, 3. *„Igitur Phrahates, cum adversus eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum quendam pueritiae sibi flore conciliatum, qui tyrannica crudelitate oblitus et vitae praeteritae et p r e c a r i i officii Babylonios multasque alias civitates inportune vexavit“.* Ruehlius neglegens J T *Π*, quae tradunt *„vicarii“*, vitium in C *„praeclari“* lenissima medicina sanans scripsit: *„precarii“*, quod exquisitius videtur lectione priore. Facillime a librario, cuius

aures pari vocum sonu fallebantur, „*praeclari*“ in textu inscribi potuit ut etiam „*VI albis*“ in XX 3, 8, „*ac tura*“ XLI 3, 6, „*tunc neces*“ in XLIV 4, 1. In eo autem ab illo viro docto dissentior, quod pro „*relinquit*“ in C E[1] A[1] *Π* servato contra omnem rationem ponit perfectum a ceteris codicibus traditum. Saepissime enim apud Iustinum praesens aut perfectum in sententia primaria perfecto aut praesente in sententia secundaria excipitur exempli causa: XXXIV 4, 2; XLIII 3, 11; XLIV 4, 4; XXVIII 4, 10; XXXVIII 1, 7 etc.

XLII 3, 3 afferuntur nomina aurigarum Castoris et Pollucis. Ruehlius, nescio qua causa adductus, recepit cruce quidem apposita scripturam *Π* „*Frygium*“, cum praebeat C „*Ericam*“, J „*Phrygium*“ vel „*Frigium*“, T „*Frudium*“ vel „*Fraudium*“. Unice in C vestigia veri remansisse elucet ex Strab. XI 2, 12, ubi legitur *Ῥέκας* (*Κρέκας*) *καὶ Ἀμφίστρατος*.

XLIV 4, 1 quin in archetypo secundae stirpis codicum illud „*Curetes*“ sit temeraria scribae coniectura, nemo est, qui dubitet. Restat nihil aliud nisi ex reliquiis germanae scripturae in C servatis: „*tunc neces*“ verum eruere. Ceteroqui videas annotationem Ruehlii in Textesqu. pag. 123.

Postremo ad naturam atque indolem codicis C penitus perspiciendam non inutile erit locos, ubi lacunae in J T *Π* a C solo recte suppletae sunt, ante oculos ponere. Compluribus horum locorum res ita se habet, ut verba in C adjungantur, quibus omissis tota sententiarum ratio atque contextus perturbetur, cum aliis locis additamenta non tam necessaria sint.

Ita, ut exempla afferam, sententia manca reficitur in XXII 5, 12, ubi additur in C „*silentio*“[1], in XXXIV 3, 7, ubi „*sicut*“ deest in J T *Π*, in XLI 4, 8, quo loco illud „*tum*“ a C adjectum prorsus requiritur propter praecedens „*cum*“. Deinde XLII 4, 8 illo „*iam*“ in eodem codice servato demum tota sententia illustratur, atque item in XLIII 1, 6 vocabulo in C ascripto „*Picus*“[2], pro quo recte

---

[1] Scriptura archetypi secundae stirpis codicum sine dubio lectione T *Π* „*oblivionis*“ repraesentatur, cum J („*oblivione*“) manifestam praebeat interpolationem.

[2] Cf. Textesqu. pag. 125.

Ruehlius restituit „*Picum*“, et in eiusd. l. 5, 11 voce „*ait*“, quam ceteri codices non habent, supplementa, quibus carere non possumus, inseruntur.

Optime etiam ad Justini orationem sententiamque apta, quamquam praetermissa non necessario desiderantur, dici possunt verba in C apposita: „*mariti*“ in XXXVII 3, 7, „*vel*“ in XXXVIII 7, 4, „*igitur*“[1] in eiusd. l. 10, 5, „*semper*“ in XLI 2, 1. Ceterum, cum praeter nomen in XLIII 1, 6 additum ubique verum etiam coniectura inveniri potuerit, illae lacunae expletae non multum ad pretium C cognoscendum valent.

Postquam igitur cognovimus C permultis locis verba germana scriptoris tradere aut lectionem saltem praebere, ex qua coniectura verum refingere possimus, cum ceteri libri manu scripti aut interpolationes aut scripturae menda exhibeant, uno vel altero loco etiam lacunas in J T *Π* recte supplere, reliquum est ad certum iudicium de utriusque generis codicum pretio faciendum nos, ut ita dicam, etiam alteram partem audire atque lectiones proferre, quibus vera verba scriptoris in J T *Π*, cum peccet C, tradita esse constat. Gravissimi ponderis esse locos, ubi, quae lectio in archetypo alterius codicum familiae scripta fuerit, aut ex consensu omnium trium classium aut conspiratione duarum aut aliis causis concludi potest, vel per se apparet, cum aliis locis, in quibus una modo classis alteris contra facientibus verum tradit, etiam ex vestigiis corruptae archetypi scripturae coniectando bona atque iusta lectio orta esse possit. Ceterum in non minimo horum locorum numero mendum in C, cum nullam prorsus praebeat sententiam, mero scribae errore natum esse luce clarius est[2].

Ex selecta discrepantia codicum a Ruehlio nobiscum communicata huc pertinent haec exempla: tradit C XVIII 2, 5 pro „*eadem*“ „*ad ea*“, XIX 2, 2 pro „*Asdrubal*“ „*Alsibar*“, XXXIII 2, 4 pro „*hostium*“ „*oiu͠*“, XXXVII 3, 5 pro „*Asiae opportuna quaeque*“

---

[1] Solet Iustinus eam particulam tum imprimis ponere, cum ad id, unde digressus est, revertitur velut XI 7, 15; XIII 8, 1; XVIII, 1, 1 etc.

[2] Cf. Ruehlii praef. pag. XIV.

„*Asiā opportunam eque*“[1], XLI 1, 3 pro „*hi et Assyriorum*“ „*gestas syriorum*“, XLIII 3, 9 pro „*Gyptis*“ „*Gestis*“. XLIII 4, 9 illud „*insidiis*“ pro „*sirpeis*“ fortasse propter paulo ante scriptum „*insidiis*“ in textum irrepsit.

Cum omnibus locis allatis conspiratione JT*Π* veram atque iustam lectionem offerri dubitari non possit, alibi hoc eodem iure confirmari nequit ut XXIV 5, 12, ubi a Ruehlio editum est: „*Desperantibus omnibus non votis agendum Sosthenes, unus de Macedoniae principibus, ratus contracta iuventute et Gallos victoria exultantes compescuit et Macedoniam ab hostili populatione defendit*“, cum in archetypo secundi generis codicum insit „*unus de Macedonum principibus ratus*“, in C „*ratus unus de Macedoniae princibus dari*“. Forsitan ille editor illis verbis verum invenerit, quoniam „*Macedoniae principes*“ etiam dictum est XXII 6, 14. Non aliter res se habet XXXVIII 6, 6. Sumpsit idem vir doctus ex JT*Π* (loquitur Mithridates de animo ingrato Romanorum adversus Masinissam, regem Numidarum, de illis optime meritum): „*tamen cum huius nepote bellum modo in Africa gestum adeo inexpiabile, ut ne victum quidem patris memoriae (C memoria) donarent, quin carcerem ac triumphi spectaculum experiretur*“. Nam hunc locum, ut Ruehlius ipse signo corruptelae apposito demonstrat, iam in fonte communi omnium codicum depravatum esse apertum atque perspicuum est. Quare haec exempla nihil contra C efficiunt.

Sed possunt, ut iam dixi, etiam alii loci enumerari, quibus, etsi vera lectio in omnibus tribus classibus secundi generis codicum non servata est, tamen, quid in earum archetypo scriptum fuerit, certum est. Hoc accidit, ut huius generis exempla proferam, in XX 4, 7, quo loco in codice, ex quo fluxerunt JT*Π*, scripturam JT „*luxuriatos*“ exstitisse, cum in *Π* insit „*luxuriatos in optimam frugem conversos fuisse*“, in C autem maiore etiam cum deprava-

[1] Conatum emendandi Gutschmidii „*esset opportuna quaeque*“ Ruehlium in textum recepisse valde miror, cum verba in JT*Π* plane apta et clara sint, illa coniectura autem sensus vel depravetur, quod illud „*domino*“ additamento, quo accuratius explicetur, caret.

tione „*luxuriosos ad optimam frugem conversos fuisse*“, in dubium vocari non potest.[1]

Pariter iudicandum est de XVI 1, 19. Hic scriptor, postquam Demetrium Alexandro, Cassandri filio, interfecto regem Macedoniae appellatum esse narravit, pergit: „*Lysimachus quoque, cum bello Dromichaetis, regis Thracum, premeretur, ne eodem tempore et adversus eum dimicare necesse haberet, tradita ei altera parte Macedoniae, quae Antipatro, genero eius, obvenerat, pacem cum eo fecit*“. Ita enim, ut T *Π* habent, in archetypo secundae stirpis codicum lectum esse persuasum habeo. Nam cum tota, quae praegreditur, narratione de Demetrio sermo fuerit, id, quod est „*eum*“, vel solum satis intelligitur, atque illud „*Demetrium*“ in lectione C „*adversus Demetrium*“ et J „*adversus Demetrium eum*“ nihil aliud est nisi explicatio aliqua in parente omnium librorum manu scriptorum addita. Equidem hoc loco, ubi Ruehlius in editione sua C secutus est, quamquam antea (Textesqu. pag. 142) ipse „*Demetrium*“ vocabulum ex annotatione in fonte communi ascripta ortum esse censuerat, non magis ei assentiendum esse arbitror quam in cap. 3, 1, quo loco item voces „*adversus Demetrium*“ a C J appositas iniuria recepit.

XX 1, 15 scriptura J „*a Lacedaemone*“, cuius pars et in T *Π*, quae habent „*Lacedaemone*“, et in C, ubi legitur „*a Lacedaemonia*“, reperitur, lectionem archetypi secundae codicum familiae et veram quidem repraesentari existimo. „*A*“ particula praeterea defenditur usu loquendi Iustini, quo semper apud verbum „*proficiscendi*“ ablativum cum praepositione ad indicandum locum, unde aliquid exit, usurpatur.

Sola classe *Π* scriptura fontis alterius codicum generis servata est in XXXIX 3, 7, ubi *Π* recte tradit „*victum hostem*“, cum in C „*ductum hostem*“, in JT „*victoriam*“ inveniamus, et in eiusd. l. 5, 6, ubi *Π* pari modo nomen, ut sine dubio in archetypo JT*Π* scriptum erat, exhibet. Habet enim „*Herotimos*“, C „*his erat imabus*“, J „*Hierotimus*“, T „*Erotimus*“.

Utrum autem scriptura bona atque proba ab aliqua classe secundae familiae praebita coniectura librarii nata an ex communi

[1] Cf. Ruehl. ed. praef. pag. XIII.

codice profecta sit, incertum est XX 3, 8 (J *„ex albis equis"*, C *„VI albis equis"*, T *Π* *„et albis equis"*)[1] et XLIII 4, 3 (T *„rege Nanno Segobrigiorum"*, C *„reges aluonum"*, J *„rege Senano Segobigriorum, Π „rege Nano Segobriorum"*). XXXVIII 3, 11, ubi Ruehlius nota corruptelae ascripta lectionem T *Π* *„directas pro sua oratione"* sumpsit, cum C habeat *„propria oratione"*, J *„directas ac ratione"*, totus locus valde suspectus est, quod T *Π* vestigia interpolationis prae se fert, et XLI 3, 6, quo loco idem vir doctus *„ac cura"* recepit, cum T *Π* *„atque cura"*, C *„ac tura"*, J *„ad curam"* tradant, dubium est, quae lectio sit anteponenda.

Verba in C omissa ad orationem explendam necessaria, quae una vel altera codicum alterius stirpis classis recte reposuerit, non multa atque semper ita comparata sunt, ut neque ad coniungendum sententiarum contextum multum valeant et facile coniectando adici potuerint, quod, ut iam vidimus, in lacunas in J T *Π* a C suppletas non semper cadit. Attamen ad rem plene cumulateque perficiendam etiam huius modi exempla quasi praetereundo afferre mihi videtur operae pretium esse. Sunt haec: XVII 3, 21 J *„usque in"*, C *„in"*, T *Π* *„usque"*, XXIV 8, 16 J *Π* *„velut ad"*, C *„velut"*, T *„vel ad"*, XXXVIII 8, 8 J *Π* *„ad inspicienda"*, C *„aspicienda"*, T *„ad adspicienda"*, XLI 3, 10 J *Π* *„fides dicti promissique"*, C *„fide promissique"*, T *„fides dicti promissisque"*. Alium locum, XXXI 7, 7, ubi J T *Π* exhibent *„nam neque"*, C *„nanque"*, secutus Ruehlium corruptum puto, cum XXXVIII 7, 5 in scripturam J *„sed etiam"*, quamquam ad sententiam supplendam necessaria est, probabilis suspicio interpolationis cadat, quod T *Π* haec verba omnino non habent, C unum vocabulum *„etiam"* exhibet.

Iam igitur secundum illam Ruehlii collationem omnibus gravioribus lectionibus, quibus C et altera codicum familia inter se dissident, pertractatis vidimus C permultis locis cum Orosio contra J T *Π* facere, sed nunquam fere classem quandam secundi generis consentire cum illo scriptore ecclesiastico, cum C alia praebeat. Porro codicum singulis locis comparatio nos docuit, praeterea saepissime lectiones non exigui momenti in J T *Π* depravatas a C

[1] Lectiones codicum, quae mihi antiquae et verae esse videbantur, primo loco posui; quam rationem etiam infra observabo.

solo recte traditas, multo rarius autem et locis parvi pretii verba scriptoris germana in archetypo alterius codicum generis exhibita esse. Denique in C praeter alias minores lacunas recte expletas uno vel altero loco (XXXIV 3, 7; XLIII 1, 6) verba adiecta sunt ad Iustini orationem sententiamque apta, quae ad restituendam rerum cohaerentiam maximam vim habent, cum supplementa in J T *Π* omnia sine exceptione parvi ponderis sint. Accedit quod non nullis locis, ubi libri manu scripti secundae stirpis plerumque manifestas coniecturae librarii notas continent, C verum singulis tantum litteris immutatis tradit, et nos ex his reliquiis antiquae scripturae leni correctura tam bonum sensum reficere possumus, ut de veritate emendationis dubitari non possit.

Ex his omnibus, quibus etiam adiungi possunt argumenta, quod C solus, ut iam Ruehlius commemoravit, M. Iuniani Iustini nomen affert atque multis locis minoris pretii exquisitiorem vel meliorem scripturam praebet, dilucide apparet Petschenigium iniuria auctoritatem secundi codicum generis defendisse, immo vero C codicem multo antiquiorem et praestantiorem recensionem efficere quam archetypum classium J T *Π* atque dignum esse, cuius scripturae discrepantiae omnes, non pars selecta, in publicum edantur; tum demum plenum certumque iudicium cum de virtutibus, tum de vitiis huius codicis fieri poterit. Eadem de causa valde dolendum est in prioribus Iustini libris testimonium C nobis deesse, cum, nisi ille codex ita truncatus esset, certe in hac parte libelli multa traditionis menda sublata essent. Communem fontem secundae codicum familiae autem patet omnis depravationis generis plenum atque imprimis foedissime interpolatum fuisse. Ut dignissimas memoratu tantum interpolationes proferam, enumero exempli causa XVII 3, 3; XIX 3, 1; XXII 2, 6; XXXI 8, 6; XXXII 2, 1; XXXIV 4, 1; 4, 3; XXXVI 3, 2; XXXVII 2, 6; XLI 1, 10; XLIII 3, 10; XLIV 4, 1. Necesse igitur est statuere illum archetypum ab aliquo correctum esse, qui litteris Latinis doctus scripturas, quae ei non iustam sententiam praebere videbantur, suo ingenio mutabat atque hoc modo genuinum textum Iustini prorsus corrumpebat. Si autem lectionum discrepantias in C consideramus, facile animadvertimur librarium lingua Latina ne imbutum quidem fuisse neque ullo modo verba scriptoris interpolando inquinare potuisse,

cum non modo sententiarum rationem omnino non comprehenderit, ut ostendunt XX 3, 8; XXXI 8, 9; XXXVI 3, 2; XXXIX 5, 6; XLI 3, 6; XLII 1, 3; XLIV 4, 1, sed etiam verba singula non intellexerit, ut unusquisque extemplo concedet, dummodo inspiciat lectiones XX 1, 11; XXXIII 2, 4; XXXVIII 7, 6. Attamen, cum etiam in hoc codice non nulla librariorum conamina reperiantur (XX 1, 15; 4, 7; XXXI 6, 7; XXXVIII 3, 11[1]), sine dubio archetypus, e quo C ductus est, eius modi vitiis laboravit.[2] Quin etiam omnium codicum, qui nobis praesto sunt, principem gravibus scripturae mendis atque interpolationibus refertum fuisse uberius iam Ruehlius ipse (Textesqu. pag. 139 sqq.) declaravit.

Quae cum ita sint, argumentorum vi freti iis locis, in quibus scripturae ad sententiam et elocutionem aeque fere bonae reperiantur, praeponere debemus illum codicem propter eius praestantiam. Itaque ego pluribus etiam locis quam Ruehlius, qui nondum plane auctoritatem illius libri manu scripti sequi ausus est, ad C fidem dirigendam esse emendationem verborum Iustini arbitror atque locis, ubi ille homo doctus lectiones C in textum editionis suae recepit, complures alios addo, quorum partim auctoritate magis codicis quam argumentis defenduntur, partim etiam dicendi genere scriptoris vel aliis rebus commendantur. Inter illos nominandi sunt: XXII 8, 11 (C *„reuerterat e sicilia“*, J T *„reuersus a sicilia fuerat“*, P *„fuerat a sicilia reuersus“*, Z *„fuerat a sicilia regressus“)*, XXXI 5, 2 (C *„dissertaturum“*, J *„non deserturum“*, T *„edisserturum“*, P *„et disserturum“)*, 7, 7 (C *„filium dixit“*, J P *„filium dixerat“*, T *„dixerat“)*, XXXII 4, 7 (C *„c̄cessere“*, J T P *„cesserunt“)*, XXXIII 1, 7 (C *„bellum“*, J *„bellum ni“*, T P *„ut bellum“)*, XXXVIII 5, 3[3] (C *„demerunt“*, J *„ademerint“*, T P *„ademerant“)*,

[1] Scripturae XXIV 5, 12; 6, 10, quas praeterea Ruehlius (Textesqu. pag. 57) interpolatas putat, videntur mihi magis menda calami lapsu orta quam mutationes a scriba consulto admissae habenda esse.

[2] Cfr. Textesqu. pag. 159 sq.

[3] Hoc loco formam indicativi perfecti ex C sumens restituo: *„ademerunt“*. Indicativum enim in oratione obliqua in libris Iustini atque praecipue in hac contione usitatissimum esse unusquisque, qui non nullas tantum paginas perlegerit, statim videbit. Commemoro modo eiusd. l. 4, 9; 4, 10; 5, 9; 6, 3 etc. cf. Frid. Fischer l. l. pag. 48 et 62 sqq.

9, 5[1] (C *„babylonam“*, J *„babylone“*, T *„babylonem“*, P *„babilonem“*), XLII 1, 1 (C *„filius eius“*, J T *Π* *„filius“*). De his paulo accuratiorem disputationem instituere non inutile esse existimo.

XXXIV 1, 5 Ruehlius secutus J *Π* edidit: *„Sed legatis occulta mandata data sunt, ut corpus Achaeorum dissolverent singulasque urbes proprii iuris facerent, quo facilius et ad obsequia cogerentur et, si quae urbes contumaces essent, frangerentur“*. Cum scripturae T *„traicerentur“* pravitas ab illo viro ipso (Textesqu. pag. 107) satis exposita sit, non opus est de ea verba facere. Collata autem lectione J *Π* cum C *„fatigarentur“* nemo negabit in vocabulo *„frangerentur“* iustum quidem bonumque sensum inesse, sed facilius ab aliquo id coniectura inveniri potuisse quam illud *„fatigarentur“*, quod in textu inscribere certe nemini occurrisset. Equidem C testimonio obsequor, quia *„fatigare“*, germanice „zusetzen“, „mürbe machen“, non minus quam *„frangere“* hoc loco quadrat. Idem significat illud verbum etiam XLI 6, 3; XLIII 3, 13; XLIV 5, 6.

XXXVIII 5, 4 utriusque codicum generis lectiones in unam confundens ponit Ruehlius in oratione Mithridatis: *„Quid, cum Paphlagonia se cedere iusserint, non alterum illud genus belli fuisse?“* Verum haud dubie in nulla classe traditum est. Legimus enim in C: *„Paflagoniam se cedere iusserunt“*, in J T: *„Paflagonia se decedere iusserint“*, in *Π*: *„Paflagoniam se decedere iusserint“*. Ut ego opinor, emendatio huius loci maiore parte, quam ille editor fecit, ex C scriptura quaerenda est, atque scribendum propono: *„Paphlagonia se cedere iusserunt“*. De indicativo in oratione obliqua apud Iustinum usurpato videas, quae dixi in annotatione pag. 29.

XXXIX 3, 1 item Ruehlius alteram scripturam altera permiscuit. Editum enim est ab eo: *„Inter has regni Syriae parricidales discordias moritur rex Aegypti Ptolomeus regno uxori et*

---

[1] Ruehlius hic ut etiam XII 10, 1; 10, 7; 13, 3; 13, 6 contra omnium codicum auctoritatem *„Babyloniam“* scribit. Non satis causae videtur esse, cur non recipiamus lectionem C *„Babylonam“*, praesertim cum etiam Orosius et *„Babylonam“* et *„Babylonem“* et *„Babyloniam“* promiscue usurpet cf. Zangemeist. ed. p. 715.

alteri utri ex filiis, quem illa elegisset, relicto", cum C exhibeat: „*utri illa ex filiis elegisset*", JT: „*alteri ex filiis, quem illa legisset*", *Π*: „*alteri ex filiis, quem ipsa elegisset*". Quoniam autem „*altero utro*" Iustinus nusquam utitur, verum similis constructio, atque C praebet, etiam VIII 4, 10 reperitur, ratio nos iubet huius codicis lectionem leni correctura „*utri*" in „*utrum*" mutato recipere.

XLI 1, 7 in editione Ruehlii scriptum invenimus: „*A Romanis quoque trinis bellis per maximos duces florentissimis temporibus lacessiti*" (scil. Parthi) „*soli ex omnibus gentibus non pares solum, verum etiam victores fuere.*" C habet rariorem loquendi formulam „*non tantum, verum etiam*", ut non aliter exstat V 1, 3; VII 4, 1; XXXVIII 9, 7. Mea sententia haec lectio vel propter insolentiam summam veri speciem habet.

Reliquis locis, ubi in C et ceteris codicibus varietas lectionum adnotata est, meum iudicium cum Ruehlii ratione consentit.

Pars altera.

Quae ratio intercedat inter J, T, *Π*.

Inter codicum classes secundi generis Ruehlius, ut iam initio commentationis meae dixi, T et *Π* artiore vinculo coniunctas esse existimans iterum duas recensiones discernit, quarum altera illis duabus, altera tertia classe efficiatur, atque archetypo T*Π* minorem fidem in verbis Iustini ad integritatem revocandis tribuit quam J. Apparet haec et ex verbis ipsis praefat. ed. s. (pag. XIII et XV) et ex eo, quod omnibus fere locis, in quibus consensus T*Π* adnotatus est contra J, huius classis auctoritatem sequitur. Ad hoc iudicium adductus videtur apertis interpolationibus, quibus T et *Π* congruerent. Consideranti igitur mihi singulos locos, ubi forsitan aliquis lectionem T*Π* interpolatam esse arbitrari possit, vel maxime hanc suspicionem discrepantes scripturae in I 1, 7 huic viro docto movisse videntur. Quem locum eam ob rem paulo longiore investigatione dignum putavi.

Initio libri primi demonstrat scriptor reges usque ad Ninum, qui Assyrios imperio tenebat, externa bella gerere solitos non esse praeter Vezosem Aegyptium et Tanaum Scytham, de quibus adiungit: „*Sed longinqua, non finitima gerebant bella contentique victoria non imperium sibi, sed populis suis gloriam quaerebant*". Ita edidit Ruehlius secundum J, postquam iam antea (Textesqu. pag. 144) scripturam T *Π*: „*Sed longinqua, non finitima bella gerebant nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quaerebant contentique victoria imperio abstinebant*" coniectura scribae ex interpretatione aliena exortam esse confirmavit. Concedo sane voces „*imperio abstinebant*" primo aspectu languidam repetitionem verborum „*nec imperium sibi quaerebant*" videri posse. Cum autem accuratius inspiciemus, tamen differentiam quandam inter has duas enuntiationis partes esse profitebimur. Significantur enim altera studia et consilia illorum regum, quibus ducti bella aliis populis inferebant, altera rationes eorum bello confecto et victoria parta. Si forte autem alicui haec argumentatio nimis arguta atque spinosa videtur esse, conferat XXXVIII 4, 14 „*nec gravius vicino Italiae bello quam domesticis principum factionibus urbem premi, multoque periculosius accessisse Italico civile bellum*", ubi item utroque enuntiati membro eadem sententia ita tantum mutata expressa est, ut scriptor, quod altero negans, altero aiens diceret. Sed licet etiam hoc exemplum alicui persuaderi non possit, scripturam T *Π* praebere vera verba Iustini, certe in eo assentietur, etiamsi vocabula „*imperio abstinebant*" annotatio marginalis iniuria textui interposita ducenda sint, nihilominus iam in archetypo J T *Π*, sicut apparet ex II 6, 1, verba, uti leguntur in T *Π*, exstare potuisse. Quaeritur modo, num et commutatus ordo verborum et omissio illarum vocum in J aliqua cum probabilitate explicari queant. Equidem hoc nullo pacto effici posse nego. Fortasse enim in codice, ex quo J T *Π* originem ducunt, sic legebatur:

bella

„*Sed longinqua, non finitima gerebant*
nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quaerebant   *contentique victoria*
imperio abstinebant."

Facile igitur fieri potuit, ut librario archetypi J, cum verbis „*contentique victoria*" post „*bella*" positis in describendo usque ad

vocem „*imperio*“ venisset, illa duo ultima verba suspiciosa esse viderentur. Cum autem sententiam iam optime scriptis duobus membris concludi putaret, haec vocabula ut languidum additamentum praetermisit atque postea intertextis illis „*contentique victoria*“ coactus „*nec*“ voculam in „*non*“ mutavit. Talem ingeniosam coniecturam a mente scribae non alienam esse docent J classis interpolationes XXVII 3, 10 et XXXI 8, 9. Ceterum non necesse est statuere hanc commutationem in uno codice et uno tempore factam esse, sed potuit etiam in duobus vel compluribus exemplaribus oriri. Collocatio verborum „*bella gerebant*“, ut in T*Π* invenitur, mihi ea de causa magis placet, quod scriptor etiam aliis locis verbum finitum in fine cuiusque enuntiati partis ponere solet.

Satis ergo mihi elucere videtur ex hoc loco de affinitate classium T et *Π* nihil cogi posse.

Neque maiorem vim habent aliae scripturae a T*Π* una traditae, cum earum conspiratio omnibus his locis etiam aliter atque ita, ut statuamus illas lectiones e communi exemplari ex archetypo JT*Π* ducto fluxisse, explanari possit. Pars enim harum discrepantiarum ita gigni potuit, ut in J ingenio interpolatoris verba ex archetypo communi sumpta immutarentur. Hoc contingit I 8, 9, ubi T*Π* praebent „*dolendum*“, J „*doleret*“, et VII 3, 3, quo loco in J fortasse vera sententia constituta est verbis „*suis ac filii*“, cum T*Π* exhibeant „*suum filiis et*“. Altera pars lectionum autem, quibus T*Π* contra J faciunt, scripturae varietas ita nata est, ut in fonte codicum secundae stirpis verbis germanis interpretatio aliena vel aliud additamentum superscriptum fuerit. Haud difficulter enim tum ab altero scriba verba ipsa scriptoris, ab altero illa explicatio in textum exemplaris sui assumi potuerunt. Quo factum est, ut non numquam illa interpretatio in T et *Π* invaserit, cum J verum servaverit. Hoc non nullis exemplis declarari potest velut I 5, 7 (J „*vindictam occasionemque*“, T*Π* „*vindictae occasionem*“), XVI 5, 15 (CJ „*obtruncatur*“, T*Π* „*occupatur*“), XXII 8, 7 (CJ „*hostium ducit*“, T*Π* „*hostium exercitum ducit*“[1]), XXIV 6, 8 (CJ „*respondentibus*“, T*Π* „*resonantibus*“), 8, 11

[1] „*Ducere*“ absolute dictum etiam apud Livium deprehenditur cf. I 23; 27; XXI 58; XXII 15; XXIII 18.

(CJ „*se*“, T*Π* „*vitam*“), XXXI 3, 3 (CJ „*vicinale*“, T*Π* „*vicinum*“), XXXIX 3, 1 (CJ „*regno*“, T*Π* „*regno Aegypti*“). Tertiae partis scripturarum differentiae tam minutae sunt, ut litteris quibusdam in communi parente JT*Π* obscuratis casu in T et *Π* consensum exortum esse quominus statuamus, nihil nos prohibeat. Talia exempla sunt, ut his utar: XV 2, 1 (J „*Auderiates*“, T*Π* „*Abderitas*“), XVI 2, 1 (CJ „*Macedonici*“, T*Π* „*Macedoniae*“), XXIII 3, 12 (CJ „*adstruxerat*“, T*Π* „*adtraxerat*“) etc.

Supersunt praeterea tria exempla, quae eadem simplicitate explicari possunt.

I 2, 1 Ruehlius ita posuit ex J: „*Haec neque inmaturo puero ausa tradere imperium nec ipsa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix parentibus viro, nedum feminae parituris, simulat se pro uxore Nini filium, pro femina puerum*“. Lectio T*Π* „*patienter uni (nino) viro*“ in Textesqu. pag. 116 ab illo viro docto tamquam interpolatio accepta est. Sed mihi neque illud „*patienter*“ speciem mutationis dedita opera factae habere videtur, cum comparantur exempla similia velut V 10, 3; XI 14, 7, et participium praesentis „*parentibus*“, cum de statu rei publicae Nino mortuo agatur, minime aptum esse persuasum est. Rescribendum esse censeo ex utraque scriptura „*patienter viro*“. Confusio fortasse superscriptis vocibus „*parentibus Nino*“ effecta est.

Altero loco, V 10, 3, ubi Thrasybuli in proelio cum triginta tyrannis adhortatio ad cives, qui, postquam contra eum pugnaverunt, terga vertebant, commemoratur, in T*Π* haec legimus: „*Admonet deinde cognationis, legum, sacrorum, tum vetusti per tot bella commilitii; orat, misereantur exulum civium, si tam patienter ipsi serviant, reddant sibi patriam, accipiant libertatem.*“ J autem, cui Ruehlius in textu restituendo obsecutus est, habet: „*Admonens deinde cognationis, legum, sacrorum communium, vetusti per tot bella commilitii orat, misereantur sqq.*“ Sed equidem hanc apertam esse alicuius viri docti coniecturam arbitror. Veri simillimum enim mihi videtur in archetypo secundi codicum generis illud „*communium*“, quod primo exciderat, scriptum fuisse super „*sacrorum tum*“. Postquam igitur in J „*tum*“ vocula voce „*communium*“ extrusa est, interpolator priorem indicativum in participium

immutavit atque ea re, qua de vivida oratione multum detrahitur, verba scriptoris corrupit. Scribendum est, ut opinor: „*Admonet deinde cognationis, legum, sacrorum communium, tum vetusti etc*“. Quo facto vocabulo „*tum*“ diversae illae sententiae ita disiunguntur, ut, quae ad pacem magis spectant, ab eo, quod ad bellum solum pertinet, separentur.

Tertius locus exstat XXIX 3, 4. Ruehlius item auctoritate J adductus accepit: „*Feros igitur victorum animos minus quidem Macedoniae quam Graeciae timendos, quia et remotior et in* v i n d i c t a m s u i *robustior sit*“. T *Π* habent: „*remotior et invicta et robustior*“. Potest cogitari illud „*in vindictam sui*“ in archetypo J T *Π* ut explicatio ad „*robustior*“ appositum a scriba J archetypi pro „*invicta*“ in textum receptum esse. „*Invicta*“ vocabulum enim in T *Π* non peiorem praebet sensum, immo vero commendatur etiam, ut Ieepius recte dicit, XXIX 2, 7, ubi contraria sententia elata est: „*Huiuscemodi oratione impulit Philippum, ut omissis Aetolis bellum Romanis inferret, minus negotii existimantem, quod iam victos eos ab Hannibale apud Trasimenum lacum audierat*“. Etiam aliquis, cui verba in T *Π* memoriae prodita non placent, ponere potest scripturam J esse ingeniosam emendationem, qua verum revocatum sit.

Non maius quam interpolationes valet magna pars communium lacunarum, quae reperiuntur in T *Π*. Etiam hic, ne perscrutatio mea modum excedat, de non nullis modo exemplis paulo accuratiorem quaestionem habere, ceteros locos strictim tantum enumerare mihi in animo est.

XI 4, 11 scripsit Ruehlius nisus fide J: „*Quam rem*“ (Athenienses dirutis Thebis profugos excepisse) „*ita graviter tulit Alexander, ut secunda legatione denuo bellum deprecantibus ita demum remiserit, ut oratores et duces, quorum fiducia totiens rebellent, sibi dedantur; paratisque Atheniensibus, ne* h a e c *cogantur, subire bellum, eo res deducta est, ut retentis etc.*“. In T *Π* illud „*haec*“ non traditur atque recte quidem, cum illo vocabulo repugnante rerum gestarum memoria sententia omnino perturbetur. Historici enim rem ita narrant: Cum Alexander Thebis solo aequatis Athenienses omnes oratores et duces dedere iussisset, magna civium consternatio facta est. Postremo consulentibus

optimum visum Demadem et Phocionem, qui iam antea post pugnam Chaeronensem a Philippo aequas pacis condiciones impetraverant, ad regem mittere veniam petituros atque confirmaturos, se de illis viris, si iudices eos poena aliqua afficiendos esse decrevissent, supplicium sumere paratos esse. Atque profecto illi legati ab Alexandro impetrarunt, ut Charidemum solum exulem fieri iuberet, ceteros autem liberos esse sineret. Qua ex re apparet lectionem J esse plane perversam, atque id, quod est „*haec*“, ab aliquo viro docto, qui ad „*paratisque*“ infinitivum desideravit, adiectum esse. De re ipsa inspicias Arrian. I 10, Diodor. XVII 15, Plutarch. Demosth. 23, Phoc. 17.

Similis est res in XIII 4, 24, ubi additamento in J adiecto oratio et sententia non emendatur, sed depravatur. Dicit enim scriptor partitione regni Alexandri Magni inter eius duces exposita: „*Haec divisio velut fatale munus singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit*“. J ante „*haec divisio*“ exhibet „*cum*“, quod propter sequentem particulam „*ita*“ ferri non potest. Congruit illa verborum collocatio, qua subiectum coniunctioni „*velut*“ praegreditur, prorsus cum consuetudine loquendi Iustini, qui item scripsit XII 15, 11 et XXXIV 2, 2. Nescio, quo modo fieri potuerit, ut Ruehlius auctoritate J confisus eius classis scripturam sumeret.

Etiam tertio loco, XXVIII 3, 7, sententiarum ratio verbo quodam in J adiuncto plane confunditur. Inest enim in T*II*: „*Nam et sterilitatem famemque passi et intestina discordia vexati externis ad postremum bellis paene consumpti sunt.*“ J autem post „*vexati*“ interponit particulam „*et*“. Utri scripturae maior fides tribuenda sit, diiudicatur verbis superioribus: „*Quod facinus dii immortales assiduis cladibus gentis et prope interitu totius populi vindicaverunt*“. Si enim T*II* conspirationi obsequimur, totum enuntiatum in duo membra discernitur, quorum alterum respondet verbis „*assiduis cladibus gentis*“, alterum vocibus „*prope interitu totius populi*“. In J autem male enuntiatio in tres partes distracta est.

Item plane supervacanea supplementa continere mihi videtur J aliis compluribus locis. Sic illa classis praeter necessitatem

addit: I 10, 15 „*et*"[1], II 10, 6 „*ita*", V 6, 10 „*eo*"[2], 8, 3 „*est*"[3], 8, 5 „*in*", VII 1, 2 „*et*", XIV 1, 13 „*milites*", 3, 4 „*et*", XV 3, 13 „*ex*"[4], XVI 3, 1 „*adversus Demetrium*", 1, 19 „*Demetrium*", XIX 3, 6 „*sed . . . quamquam*". Tres ultimas verborum adiectiones falsas esse iam antea perspeximus.

Negari autem non potest permultis locis ab J lacunas T*Π* ita expletas esse, ut bona evadat sententia, atque oratio Iustini optime restituatur, quamquam ubique haec additamenta coniectando inveniri posse concedendum est. Talia sunt: III 7, 8 „*enim*", VI 5, 5 „*magnae*", 7, 12 „*et*", XI 1, 8 „*sui*", 7, 6 „*que*"[5], XIII 1, 4 „*eum*", 7, 11 „*dei*", XV 3,15 „*ei*", XXXIV 3, 3 „*et*", XXXVIII 5, 5 „*se*", 7, 5 „*sed etiam*".

Sed non omnia exempla verborum in T*Π* omissorum pari facilitate explicari possunt. Exstant non nulli loci, in quibus vocabula a T*Π* non tradita antiquitus in J servata esse aut ex testimonio C aut ex indole ipsa talium supplementorum pro certo confici potest, hunc consensum T*Π* autem casu exortum esse nequaquam confirmare licet. Sic res se habet I 4, 6, ubi verba „*amico et*" desunt in T*Π*, V 8, 9, quo loco vocabulum ab J retentum „*trigenta*" genuinum esse auctoritate Orosii (II 17, 5) affirmatur, XI 6, 13, ubi J classis sola praebet „*solacia*". XVIII 4, 3 vestigia nominis regis „*Muttonis*", quod in CT*Π* excidit, in J voce „*multo*" servata ad antiquam traditionem redire videntur, cum haud facile ex doctrina librarii hausta esse possint. Vocabula autem in T*Π* omissa: „*et laboribus*" in XXII 6, 3, „*sed in exercitationibus*" in XXXVII 4, 1,

---

[1] Particulam „*et*" Iustinus contra usum superioris aetatis scriptorum ponit etiam X 1, 1; XIX 2, 2, aliis locis; cf. J. Al. Roszek. De natura latinitatis Iustinianae. Prog. Hermannstadt 1865 pag. 21.

[2] Baehrensius „*ex eo proelio*" coniectavit, quod Ruehlius recepit. Sed niti possumus loco prorsus simili XVIII 3, 18: „*qui proelio superfuerant*".

[3] Eadem omissio deprehenditur XI 8, 7; duobus aliis locis, I 6, 1 et XIV 1, 7, Ruehlius „*est*" sine causa intertexit.

[4] „*Desilire*" verbum cum solo ablativo casu sine praepositione praeterea coniungitur I 10, 9; cf. Domke. Über den Gebrauch der Präpositionen *ab, ex* u. *de* bei Justin. Progr. Breslau 1877 pag. 12.

[5] Participio „*percontatus*", quod tradunt codices, constructio totius enuntiati perturbatur, quare „*percontaturque*" scribendum esse censeo.

„omnium“ in XXXVIII 7, 10 non interpolando, sed ex archetypo ipso addita esse in J ostendit conspiratio C.

Quamquam sane in uno vel altero horum locorum ille consensus T *Π* ita explanari potest, ut in principe codicum alterius generis verba, quae requiruntur, propter eorum similitudinem cum proximis facile oculos describentis elusisse et postea super textum scripta ab alio scriba omissa, ab alio recepta esse coniiciamus, tamen in universum illas lacunas speciem maioris affinitatis, praeterquam quod cum J ex eodem codice derivatae sunt, inter T et *Π* intercedentis praebere concedo. Sin autem lacunas communes et interpolationes in JT examinaverimus, multo magis hae codicum classes inter se cognationis vinculo coniunctae esse nobis videbuntur.

Praecipue lacuna in XXXI 3, 1, quae et J et T insidet, necessitudinem earum pro certo videtur confirmare. Hoc loco enim *Π* tradit: *„Interim in Graecia Flamininus iuncta cum quibusdam civitatibus societate Nabidem tyrannum duobus continuis bellis subigit gravibusque pacis legibus fractum velut exsanguem in regno relinquit“.* In C antiqua scriptura corrupta est in: *„gravibusque pacis legibus factus“*, cum J et plerique codices T habeant: *„et gravibus fractum“*. Scripturam *Π* esse germanam unusquisque facile ex lectione C cognoscet. Incertum tantum est, num corruptela in JT ita explanari possit, ut aut mero scribendi errore aut alio modo casu in utraque classi ex vera lectione archetypi JT*Π* natam esse ponamus. Hoc autem nego tribus de causis: propter verba illa omissa et propter mutationem illius *„que“* in *„et“*, et quod tota scriptura prorsus caret sententia. Cogimur ergo statuere aut hanc lectionem ex exemplari aliquo, e quo solae classes JT ductae sunt, defluxisse, *Π* autem verum ex archetypo communi secundae codicum familiae, ex quo illud exemplar profectum erat, deprompsisse, aut bonam atque iustam scripturam *Π* aliunde quam ex illo communi fonte tractam esse, lectionem autem JT originem ducere ex archetypo JT*Π*.

Eandem dubitationem movet etiam XXXVII 3, 7, ubi verborum, quae exhibent C*Π*, *„post longam peregrinationem“* omissio in JT vix aliter explicanda est.

Sed etiam aliae lacunae in JT, quamquam non habent vim argumentorum nihil dubii relinquentium, iudicium nostrum ex illis

locis factum tuentur. Nam licet hae omissiones talem naturam habeant, ut fortasse eas casu pari modo in utraque classe exortas esse cogitare possimus, tamen, cum ad locos commemoratos respiciemus, non aliter de earum origine iudicabimus. Eiusmodi exempla sunt XXII 6, 5, quo loco vocabula *„dux Poenorum“* consonantia vocis praecedentis *„paganorum“* exciderunt, et XXIV 6, 6, ubi librarius, ut voces a C *Π* exhibitas *„undique impendente; ibi civitatem frequentia hominum fecit, qui admiratione maiestatis“* praetermitteret, certe *„undique“* vocabulo post *„maiestatis“* repetito commotus est. Alio loco, XXVIII 2, 7[1], verba *„quam aliena appetenda“* haud dubie propter vocis, quae antecedit, *„defendenda“* parem exitum in JT interciderunt. Est enim supplementum plane ad sensum et scriptoris sermonem accommodatum et bonis antiquisque verbis comprehensum, quare non coniectura inventum videtur. Etiam verba a *Π* solo II 14, 2 addita *„in spem pacis amicitiamque“* genuina esse intelligitur, ut iam Ruehlius annotavit (Textesqu. pag. 59), ex Orosii verbis (II 11, 2): *„Athenienses varia sollicitatione adducere in spem pacis aggressus etc.“* Hunc locum, tametsi in J maior inest lacuna, ea de causa proferendum esse putavi, ut clarius etiam appareat *Π* in secunda codicum stirpe proprium obtinere locum.

Reliquae verborum omissiones in JT minoris aestimandae sunt atque ad hanc quaestionem non multum valent ut XXXIII 1, 7, ubi C *Π* *„triste“* adiiciunt, et XXXVIII 10, 2, quo loco in eisdem codicibus invenitur *„scaenicorumque“*. Additamenta in *Π* velut *„vi“*[2] in IX 8, 12, *„se“* in XVI 5, 8, *„illis“* in XXVIII 2, 7, etiamsi commodissimo loco interposita sunt, etiam coniectura nasci potuerunt.

Praeter illas lacunas etiam interpolationes communes in JT earum propriorem cognationem testari videntur. Reperimus enim in libris Iustini tres locos, ubi textus in JT sine dubio commentis librariorum foedatus est, cum alia discrepantiae inter eas et *Π* causa vix afferri possit.

---

[1] Cf. Textesqu. pag. 58 et praef. pag. XII.

[2] Secundum coniecturam Bongarsii scribit Ruehlius *„aperte“*. Sed propter multa bona supplementa, quae *Π* praebet, etiam hoc loco lectionem huius classis esse recipiendam existimo.

II 2, 7 quin scriptura *Π*: *„Aurum et argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales adpetunt“* multo exquisitior lectione JT *„non perinde“* pro *„perinde aspernantur“* et certe vera sit, dubitari non potest. Nam apparet particulam *„non“* pro *„aspernantur“* ab interpolatore ad mancam sanandam sententiam substitutam esse.

Alter locus deprehenditur XVIII 5, 2. Exhibet C: *„comitem se Elissae sociumque fortunae offert“*, cum scripturae secundae stirpis codicum dissentiant. Habet enim *Π* *„fortunae offerret“*, JT *„praebuit“*. Etiam hic perspicuum est postremam lectionem ita ortam esse, ut pro verbis *„fortunae offert“*, quae casu aliquo interciderant, vocabulum *„praebuit“* ad hiantem orationem explendam suppositum sit.

Postremo affero XXXVIII 3, 4, ubi scriptura J *„in quo tum“* et T *„in quod tum“* in eandem interpolationem revocari possunt. Sententiae optime convenit lectio C *Π* *„in quam rem“*.

Ex his, quae dixi, satis mihi videtur patere consensum JT et in verbis omissis et in interpolationibus non casu fieri potuisse, sed aut in altero codicum genere duas familias, quarum altera J et T, altera sola *Π* classe repraesentetur, distinguendas, aut lectiones illas *Π* proprias ex alio fonte quam archetypo JT*Π* sumptas esse. Propter illam conspirationem T*Π* autem, quam aperte demonstrant non nullae communes lacunae, puto non licere cogitari de artiore vinculo, quo J et T classes praeter communem originem e codice, qui fons est librorum manu scriptorum secundi generis, cohaereant. Nullo alio modo illas miras convenientias in JT explicari posse credo, quam ut ponamus tres classes pari modo quidem ex communi archetypo derivatas esse, *Π* autem a viro aliquo docto ex antiquiore et meliore exemplari Justini, quod ex parte ductum erat ex archetypo T emendatam esse. Omnes illas lacunas et interpolationes in JT autem iam in archetypo secundae stirpis codicum fuisse statuere oportet. Cum hoc conicimus, imprimis etiam omissionum illarum, quas explanare non potuimus, causam statim intelligimus. Quoniam enim pleraeque 22—25 fere litteras complectuntur ut *„in spem pacis amicitiamque“* in II 14, 2, *„post longam peregrinationem“* in XXXVII 3, 7, magna lacuna autem in XXIV 6, 6

admodum triplex spatium complet, iusto iure contendere possumus archetypum JT*Π* fluxisse e codice binis columnis scripto, cuius versibus hic modus fuit, et illas lacunas praetermissis singulis vel tribus versibus ortas esse.

Accuratius deinde perscrutantibus nobis singulas scripturas a *Π* traditas apparebit hanc classem etiam mirum in modum accedere ad C. Ipsi loci paulo antea tractati XVIII 5, 2; XXII 6, 5; XXIV 6, 6; XXXI 3, 1; XXXIII 1, 7; XXXVII 3, 7; XXXVIII 3, 4; 10, 2 hanc propinquitatem testari videntur, quamquam etiam cogitari licet has lectiones communes esse ductas ex principe omnium codicum. Multo maioris ponderis sunt exempla eiusdem corruptelae in C et *Π* interpolatione factae velut in XX 4, 7 „*luxuriosos ad optimam frugem conversos fuisse*" et „*luxuriatos in optimam frugem conversos fuisse*" pro vera scriptura JT „*luxuriatos*" atque in XLIII 5, 11 „*proavum*" pro „*avum*". Ex his interpolationibus concludere possumus illum codicem, quo corrector archetypi *Π* utebatur, proxima cognatione non modo archetypum T, sed etiam recensionem C contigisse, et fortasse ex archetypo T descriptum ex C recensione emendatum esse.

Videor igitur mihi dilucide atque aperte evicisse inter T et *Π* artiorem necessitudinem, ita ut ex propiore fonte quam ex communi secundae stirpis codicum archetypo fluxissent, non intercedere.

Quae cum ita sint, ratio Ruehlii, qua lectiones a T*Π* exhibitas J auctoritati postponit, ea tantum conditione stare potest, si T et *Π* classes tam exigui pretii essent, ut etiam earum conspirationi J fides praeferenda esset. Sed T classis pretium non multum cedere J familiae dignitati Ruehlius ipse in Textesqu. (cf. pag. 122) satis affirmavit, *Π* autem minime tam parvi habendam esse et ex illo consensu cum C dilucide apparet et eo efficitur, quod Ruehlius ipse permultis locis *Π* scripturam neglecta JT conspiratione sumpsit. Nam secundum illius viri selectam collationem 21 locis in *Π*, 12 in JT se verum repperisse putavit, quinquies coniecturas fecit aut aliorum emendandi conatus probavit. Tamen ad omnem dubitationem tollendam atque huius classis auctoritatem melius cognoscendam necesse esse existimavi quaestionem habere, qua ratione *Π* et ceterae alterius generis classes aut separatim aut altera cum

altera utra coniuncta cum Orosio consentiat, et eisdem causis, quibus in fide C investiganda, adductus ex annotatione critica Ruehlii collationem omnium locorum, qui huc pertinent, proferre institui. Initium faciam ab illis exemplis, quibus J convenit cum Orosio dissentientibus T *Π*:

I 2, 10	duos et quadraginta J Oros. I 4, 4; II 3, 1. duo et XXX T *Π*.
I 3, 2	purpuram J Oros. I 19, 1. purpuras T *Π*.
II 11, 6	plura se J. plus se Oros. II 9, 6. plura T *Π*.
III 5, 2	instaurant J Oros. I 21, 6. restaurant T *Π*.
V 6, 6	ex qua conluvione J. ex hac conluvie Oros. II 16, 14. eaque in conluvione T. eaque conluvione *Π*.
V 8, 9	triginta tyranni J Oros. II 17, 5. tyranni T *Π*.
V 10, 4	Eleusinam J Oros. II 17, 13. Eleusina T. Eleusin *Π*.
VI 6, 9	poposcit J Oros. III 2, 3. poscit T *Π*.
IX 2, 14	virtute et numero animo J[1]. numero et virtute Oros. III 13, 6. virtute et animo T *Π*.
XVI 2, 1	concordiae J Oros. III 23, 54. concordia T *Π*.
XIX 3, 2	manus CJ Oros. IV 6, 14. manum T *Π*.

Compluribus praeterea locis Ruehlius consensum aliquem inter J et Orosium invenisse se putavit, in quibus me certis argumentis

[1] Recte Ruehlius restituit: „*virtute et numero*", cf. Textesqu. pag. 142.

illum virum doctum a vero aberrasse demonstrare posse existimo. Liceat igitur mihi paulo fusius disputare de causis, quibus, ut ab eius viri iudicio decedam, commoveor.

I 8, 8, ubi Ruehlius Orosium testem citat ad comprobandam lectionem J *„interficit“* contra *„interfecit“*, in T *Π* verba illius scriptoris ecclesiastici nimis distant a textu Iustini, quam ut documento esse possint. Iustinus scribit enim: *„Nam cognitis his Cyrus reversus per noctem saucios opprimit omnesque Scythas cum reginae filio interfecit“;* Orosius autem pressius rem ita narrat (II 7, 3): *„mox revertente Cyro universi cum adulescente obtruncantur“*. Haud raro Iustinus in eadem enuntiatione praesens historicum et perfectum iuxta ponit ut I 9, 9; XXXI 6, 5; XXXIV 4, 2; XXXV 1, 4 etc. cf. Fischer l. l. pag. 45 sqq.

III 5, 6 a Ruehlio ex J receptum est: *„Porro Athenienses, cum responsum cognovissent, in contemptum Spartanorum Tyrtaeum, poetam claudum pede, misere, qui tribus proeliis fusos eo usque desperationis Spartanos adduxit, ut servos suos ad supplementum exercitus manumitterent“* etc. Nititur enim in Orosii verbis (I 21, 7): *„Lacedaemonii Tyrreum, Atheniensem poetam, ducem proelio legunt; qui tribus conflictibus fusi amissum exercitum vocata in libertatem servorum manu suppleverunt“*. Sed eodem iure etiam Orosio ad defendendam scripturam T *Π* *„fusus“* uti possumus, cum in lectione et Orosii et harum classium verbum *„fundendi“* ad relativum spectet.

IV 3, 5 exhibent T *Π*: *„qui“* (scil. Athenienses) *„seu studio maioris imperii, quod Asiam Graeciamque penitus occupaverant, seu metu factae pridem a Syracusanis classis, ne Lacedaemoniis illae vires accederent, Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere e. q. s.“* Ruehlius sumpsit scripturam Orosii (II 14, 7) *„nuper“* pro *„pridem“*, quod illam lectione J *„nuper idem“* probari arbitratus est. Sed cum ille locus ab Orosio non ita ad verbum descriptus est, ut argumento, quod habeat momentum, esse possit, tum lectiones codicum manifesto ostendunt in archetypo scriptum fuisse *„pridem“*. Quoniam deinde illud *„pridem“*, germanice „unlängst“, eadem vi etiam XII 6, 7 usurpatum est, ubi Ruehlius contra omnium librorum manu scriptorum memoriam edidit *„nuper“*, nulla re impedimur, quin vocabulum a T *Π* traditum recipiamus.

IX 3, 6 legimus in T *Π*: „*Facta igitur inter duas paulo ante infestissimas civitates*“ (Athenienses et Thebanos) „*societate legationibus Graeciam fatigant; communem hostem putant* (J *petunt*) *communibus viribus submovendum*“. Orosius (III 13, 9) tradit: „*qui in tanto discrimine positi Lacedaemonios quondam hostes, tunc socios adsciscunt totiusque Graeciae civitates legationibus fatigant, ut communem hostem communibus viribus petant*“. Dubitari non potest, quin haec verba ad tuendam lectionem J proferri nequeant; et Ruehlius ipse, cum in Textesqu. pag. 34 hoc loco concentum esse voluerit inter J et Orosium, in editione sua posuit „*putent*“. Quid nimirum causae est, cur non indicativum receperit, ego plane non video. Ceterum cum agatur de unius tantum litterae commutatione, non cogitandum esse arbitror hoc loco id, quod est „*petunt*“, ex eodem fonte atque Orosii „*petant*“ derivatum esse.

Restat XII 7, 3. Scriptum enim est in J classe: „*Retentus tamen est a Macedonibus mos salutandi regis explosa adoratione*“, cum in T *Π* insit „*modus salutandi*“. Sed hoc loco verba illius presbyteri (III 18, 11), qui etiam hic rem multo brevius quam Iustinus exponit, potius ad paragr. 1: „*ex Persico superbiae regiae more non salutari, sed adorari se iubet*“ referri possunt. Leguntur enim apud Orosium, qui omnes has tres paragraphos in unam coniungit, haec: „*Callisthenen philosophum sibique apud Aristotelen condiscipulum cum plurimis aliis principibus, cur eum deposito salutandi more ut deum non adoraret, occidit*“.

Quibus rebus conficitur, ut ex collatione selecta Ruehlii 11 modo loci reperiri possint, ubi scriptura J classis solius auctoritate Orosii laudatur. Sed multo minor etiam est copia lectionum a T sola oblatarum, quae cum illius scriptoris verbis contra duas alias classes congruunt. Sunt modo quattuor:

II 12, 23	primos T	Oros. II 10, 3.
	primores (priores) J *Π*[1].	
VI 6, 8	vulneratus T	Oros. III 2, 3.
	vulneratur J *Π*[2].	

[1] Nulla probabili causa praeponit Ruehlius scripturam J *Π*.

[2] Etiam hoc loco a Ruehlio lectio ab J *Π* exhibita in textu posita est. Quamquam propter minutum scripturarum discrimen res valde dubia est, tamen puto T sequendum.

XI 14, 4	Cydni T Oros. III 16, 5. Cygni J. Cidni *Π*.
XXI 4, 7	lacerum T Oros. IV 6, 20. laceratur C. laceratum J *Π*[1].

Videas denique locos, ubi *Π* sola classium secundae codicum stirpis idem atque Orosius tradit:

II 3, 10	stolide *Π* Oros. I 14, 2. italide J. colendi T.
VI 2, 1	Hercynione *Π* Oros. III 1, 8. Heresniona J. Inercynioni vel aliud T.
VI 3, 1, 8	Pisander *Π* Oros. III 1, 12. Pisandrus J T.
VII 6, 14	Mothonam *Π* Oros. III 12, 9. Mathonam J. Mothanam T.
VIII 4, 4	adversum *Π* Oros. III 12, 25. lacuna in J. adversus T.
IX 5, 7	exercitus erat *Π*. exercitu Oros. III 14, 3. exercitus erant J T.
XI 9, 1	CCC *Π* Oros. III 16, 6. CCCC J T.
XI 11, 6	velit *Π* Oros. III 16, 13. vellet J T.
XII 9, 2	Sibosque *Π* Oros. III 19, 6. Sirosque J. Sileosque T.

[1] Cf. pag. 19 sq.

XV 2, 16	locum coeundi *Π* Oros. III 23, 41. locatus coeundi (loca iusque coeundi) J[1]. locum eundi T.

Haec inveniuntur exempla, quibus unaquaeque classis sola secundi codicum generis cum Orosio consentit, cum aliae duae aliud praebeant. Opus etiam est, ut dignitas *Π* penitus perspiciatur, locos ante oculos ponere, in quibus altera classis cum altera utra coniuncta tertia discrepante una cum illo scriptore facit.

Ac primum quidem, ut incipiam a classibus J T, unus tantum locus ex annotatione Ruehlii critica proferri potest, in quo Orosius adiuvat communem earum traditionem. Reperitur hic in II 4, 12, ubi scribunt J T *„Lampeto"*, quam formam etiam Orosius I 15, 4 habet, in *Π* autem legitur *„Lampedo"*.

Permagnus contra est numerus earum lectionum, quibus scriptura J *Π* cum Orosii verbis dissidente T conspirat. Exhibent enim:

I 6, 16	maximae J *Π* Oros. I 19, 10. decimum (ducem) T[2].
I 7, 3	de se sollicitus J *Π*. sollicite Oros. II 6, 12. desolutus T[3].
II 3, 8	prius legatis J *Π* Oros. I 14, 1. primo lenonibus T[4].
II 3, 13	trepidus J *Π*. territum Oros. I 14, 3. deest in T[5].
II 4, 1	Plinos J *Π*. Plynos Oros. I 15, 1. Ylynos T.

[1] In lectione cod. L *„loca iusque"*, quam assumit Ruehlius, et ille pluralis et vocula *„ius"*, quam me intelligere non posse confiteor, offensionem praebent.

[2] Inspicias Textesqu. pag. 101.

[3] Cf. ibid. pag. 102.

[4] Vid. ibid. pag. 99.

[5] Cf. ibid. pag. 94.

II 10, 12	per quinquennium J *Π* Oros. II 9, 1. quinquennium T.
III 1, 1	Graecia J *Π* Oros. II 11, 7. Graeciam T.
IV 4, 7	in quo J *Π* Oros. II 14, 13. quo T.
V 9, 9	quingentos milites J *Π* Oros. II 17, 19. quingentos T.
VI 3, 9	milites et omnium regum J *Π*. milites remiges ipsique ductores Oros. III 1, 14. et omnium regum T [1].
VII 6, 12	adquisiturum se sperat J *Π*. se dilaturum putaret Oros. III 12, 8. adquisiturum sperat T.
VIII 6, 1	extremis regni terminis J *Π* Oros. III 12, 32. extremis T.
XII 6, 18	Chorasmos J *Π* Oros. III 18, 11. Carasmos T.
XII 9, 3	Mandros J *Π* Oros. III 19, 6. Mambros T.
XIII 4, 10	Africae Arabiaeque J *Π* Oros. III 23, 7. Africae Asiae Lybiaeque T [2].
XIII 4, 23	Staganos J *Π*. Stacanor Oros. III 23, 13. Stagnos T.[3]
XV 4, 12	a cervicibus J *Π* Oros. III 23, 45. cervicibus T.

[1] Exempla, quae Ieepius in editionis suae pag. 38 ad explicandam vocem „regum“ affert, quam ipse non probat, nullam habent vim. Ruehlium verum reposuisse mihi persuasum est, cum legendum esse censuit: „omnium militum et remigum“.

[2] Cf. Textesqu. pag. 142.

[3] A Ruehlio recte, ut videtur, in textum receptum est „Staganor“.

XVIII 7, 1 infeliciter C J Π Oros. IV 6, 7.
feliciter T[1].

XVIII 7, 2 Mazeum C J Π Oros. IV 6, 7.
Maleum T.

XXII 6, 5 villas castellaque C J Π Oros. IV 6, 25.
castella villasque T.

Reliquum est, ut etiam enumerem locos, in quibus scripturae a T Π traditae Orosii testimonio approbantur, cum in J insit mendosa lectio.

I 8, 13 coici T Π Oros. II 7, 6.
caici J.

VI 1, 2 Hercylides T Π.
Hircyliden Oros. III 1, 6.
Herculides J[2].

IX 1, 6 Captis itaque CLXX navibus mercium et distractis T Π.
Captas itaque CLXX naves mercibus confertas distraxit Oros. III 13, 3.
Captis itaque CLXX navibus mercibusque distractis J.[3]

XII 5, 9 Parimas Parapammenos Adaspios T Π Oros. III 18, 7.
Parimpammenos Adaspios J.[4]

XII 5, 12 Tanaim T Π Oros. III 18, 7.
Tanain J.[5]

---

[1] Ruehlius recepit „*feliciter*", sed dubito, num recte. Nam ex Orosii verbis: „*cum in Sicilia diu infeliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello iterum infelicius victi sunt*" luce clarius apparet illum scriptorem etiam in suo Iustini exemplari „*infeliciter*" legisse. Etiamsi scriptura T memoria rerum gestarum defenditur, tamen propter optimorum testium consensum Iustinum in tradenda hac re errasse extra omnem dubitationem puto.

[2] In textu a Ruehlio recensito: „*Herculides*"; in prol. l. VI: „*Derculides*"; *graece* Δερκυλίδας. De ipsius nominis forma certum iudicium facere non audeo, sed Iustinum „*Hercylides*" scripsisse dubium non esse potest.

[3] Ruehlius, qui consensum inter T Π et Orosium ignoravisse videtur, iniuria J sequitur.

[4] Secutus coniecturam Gutschmidii Ruehlius posuit: „*vel Arimaspos, Parapamesadas*". Adeo autem a codicum scriptura recedere mea sententia non licet.

[5] In ed. Ruehlii sine iusta causa: „*Tanain*".

XII 8, 9	Gangaridas T Π Oros. III 19, 4. Cantaridas J.
XII 10, 2	Ambigeri T Π. Ambira Oros. III 19, 11. Ambi J.[1]
XIII 4, 21	Parapamenos finem T Π. Parapamenos fine Oros. III 23, 12. Parapamenos fines J.[2]
XIII 4, 22	Drancae T Π. Drangae (Drancae) Oros. III 18, 7. Dracae (Dramcae, Draccae) J.[3]
XV 4, 11	Babylonam T Π Oros. III 23, 44. Babyloniam J.
XIX 3, 1	navi sua C T Π Oros. IV 6, 14. navibus J.
XXI 6, 1	Rodanum T Π. Rhodanum Oros. IV 6, 21. Phodanum C. Ronannum J.

Cum faciemus igitur summam omnium lectionum, quibus unaquaeque classis sola vel cum altera utra iuncta cum Orosio convenit, videbimus Π cum illo scriptore inter omnes codicum alterius stirpis classes plurimis locis facere, quoad ex annotatione Ruehlii cognosci potest.

Quod si reputaverimus simulque consideraverimus, quae supra de expletis in J et Π lacunis disputavimus, perspicuum erit Π illa correctione ex codice multo antiquiore et meliore facta paulo maius pretium adeptam esse quam illa classis a Ruehlio tam magni

---

[1] Ruehlius J scripturam sumit. Sed post „*Ambi*“ complures litteras intercidisse lectio Orosii aperte docet. Quae quidem illius nominis vera forma sit, incertum est.

[2] Contra codicum et Orosii testimonium etiam hic idem vir doctus recepit commentum Gutschmidii „*Parapameson finem*“. Fortasse Orosius scripsit: „*finē*“.

[3] Scribendum esse existimo cum Ruehlio: „*Drangae*“; cf. Steph. Byz. ed. Meinek. pag. 238: *Δράγγαι.*

putata. Haec sententia etiam comprobatur numero interpolationum, quae in singulis classibus inveniuntur. Ut enim dignissimas memoratu tantum corruptelas interpolando exortas ante oculos ponam, in *Π* praeter: *„quanto gravior offensa deorum esset, tanto nullas essent hominum adversus deos vires“* in II 12, 10 et: *„ut aliquos ex his luxuriatos in optimam frugem conversos fuisse“* in XX 4, 7, quarum utraque ex interpretatione aliena nata est, una vel altera tantum parva librariorum coniectura in illa Ruehlii collatione deprehendi potest. In J autem non modo multae mutationes consulto admissae exigui ponderis reperiuntur, sed etiam hae maiores: *„si se secuti sint“* in I 6, 6, *„non tamquam amicus ei deditus“* in XXVII 3, 10, *„minus Romani aptiorem Asiam quam possessiones voluntarias“* in XXXI 8, 9. Infinitam copiam locorum in T ab interpolatore depravatorum enumerare supersedeo. Unusquisque, qui lectiones paucorum modo librorum percenset, facile ex innumerabilibus lacunis et mille ordinis verborum commutationibus et permultis scripturae mendis atque interpolationibus concludere potest illius classis archetypum derivatum esse e codice, qui incredibili negligentia descriptus et foedissime scribae conaminibus inquinatus erat.

Ratione classium secundi codicum generis ita constituta nemini iam dubium esse potest, quin Ruehlius in errore versatus sit, cum temere J lectionibus non modo testimonium T*Π*, sed etiam consensum CT*Π* postposuit. Quin etiam ille vir doctus fiducia praestantiae J non paucis locis, quamquam scriptura T*Π* aut rerum cohaerentia aut genere dicendi Iustini aut aliis causis defendebatur, tamen J lectionem antetulit. Equidem ex tota mea perscrutatione dilucide apparere arbitror omnibus locis, ubi T*Π* conspiratio disconvenit cum J classis traditione, illarum classium fidei obsequendum esse, nisi alia argumenta sive ex sententia sive ex scriptoris elocutione sive aliunde petita obstant. Cum igitur haud ita parvus sit numerus locorum, ubi Ruehlius hanc legem neglexit, eas tantum lectiones, quibus praeter codicum auctoritatem etiam ex re ipsa commendatio accedit, accuratius tractabo, ceteras autem, quae talibus causis non defenduntur, praeteriens modo afferam.

Atque primum quidem disputabo de iis scripturis, ubi ex ipsis locis, quid verum sit, diiudicari potest.

I 10, 15 adverbium „*inopinato*“ ab J traditum minimam habet auctoritatem, cum nusquam alibi insit in libris Iustini. Participii autem a T *Π* servati *(„inopinanti“)* exsistunt complura exempla: II 4, 19; 5, 5; 8, 3; VIII 3, 15.

II 9, 13 mihi scriptura T*Π*: „*Victi Persae in naves confugerunt, ex quibus multae suppressae (J submersae), multae captae sunt*“ praeponenda esse videtur propter insolentiam. Vim enim, quae hic ei subiecta est, verbum „*supprimendi*“ habet praeterea etiam in Livii l. XXII 19; XXVIII 30; XXXVII 11. „*Submersae*“ certe interpretatio aliena est.

III 2, 10 legitur de Lycurgo, legislatore Lacedaemoniorum, in T*Π*: „*Parsimoniam omnibus*“ (Spartiatis) „*suasit, existimans laborem militiae adsidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore*“. Ruehlius ex J restituendum esse putavit: „*adsiduae*“. Sed neminem, nisi virum praeoccupato animo, praestantia scripturae T*Π* effugere potest, cum illum genitivum „*adsiduae*“ sine dubio ex proximis genitivis ortum esse pateat.

IV 4, 4 praebent T*Π*: „*Brevi post tempore revocato ad reatum Alcibiade duo proelia pedestria secunda Nicias et Lamachos faciunt*“, cum J exhibeat „*vocato*“. Sed cum contulerimus V 1, 2, ubi de eodem Alcibiade refertur: „*revocatusque a bello ad iudicium*“, de vera lectione dubitare non poterimus.

V 4, 7 pertractatis rebus gestis Alcibiadis scriptor narrat: „*atque ita prisca navali gloria vindicata, adiecta etiam laude terrestris belli, desideratus civibus suis Athenas revertitur*“. Quanti sit habenda scriptura J „*terrestri*“, vel ipse Ruehlius, qui ad eam tuendam „*belli*“ vocabulum uncis incluserit, ostendit. Similia illius genitivi exempla habes etiam VI 2, 8 „*gloria rerum gestarum*“, XII 6, 4 „*laudemque paternae militiae*“, XIV 3, 3 „*gloriam tot bellorum*“ etc.

VIII 2, 6. „*Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriae dedit; illum vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum; quod orbis viribus expiari debuit, solum, qui piacula exigeret, exstitisse*“. Sic T*Π*, cum J habeat „*debuisset*“. Lectionem posteriorem esse interpolationem Ruehlius ipse in Textesqu. pag. 101

concessit. Atqui ille homo doctus eam nulla probabili causa in editionis suae textum recepit.

XII 7, 5 scriptum est in T Π: *Cui gloriae ut etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum et arma militum argento inducit exercitumque suum ab a r g e n t e i s c l y p e i s* (J *ob argenteos clipeos*) *Argyraspidas appellavit*". Excellentiam prioris scripturae demonstrat apertissime XIII 3, 4, quo loco reperimus: „*urbe, quam a piscium ubertate Sidona appellaverunt*".

XI 4, 5 exponit Iustinus Cleadae preces, quibus Alexandrum commovere studuit, ne Thebas deleret: „*Privata etiam*", inquit, „*regem superstitione deprecatur: g e n i t i apud ipsos H e r c u l i s, unde originem gens Aeacidarum trahat, actaeque Thebis a patre eius Philippo pueritiae*". Haec scribunt T Π, neque ulla subest offensio. Quod enim Vorstius putat, non posse pro superstitione haberi, quod Philippus puer Thebis vitam egisset, quemadmodum quod Hercules, qui tamquam deus cultus esset, apud Thebanos natus fuisset, Wopkensius apte huic altercationi respondet: „*Metum incutere regi conabatur Cleadas, ne si Thebas dirueret, impius etiam in manes patris sui foret, qui ibi pueritiam suam exegisset*". Exemplum eiusdem genitivi deprehenditur etiam XXXIX 3, 9 „*His tot necessitudinibus sanguinis adicit superstitionem templi, quo abdita profugerit*". Sequitur, ut conatus loci sanandi Baehrensii, qui propter lectionem J „*genitum apud ipsos Herculem*" etiam „*actamque . . . pueritiam*" legi vult, quam coniecturam Ruehlius recepit, plane otiosus et supervacaneus sit. Scriptura in J tradita inde profecta est, quod scriba, qui illum genitivum non perceperit, verba suo ingenio emendare tentavit, in secundo membro autem commutationem facere praetermisit.

XXVI 1, 9 unice verum mihi videtur esse, quod invenitur in T Π: „*Obiectans singulis, se, quia l i b e r a n d a e patriae auctor esse non possit, desertae ultorem futurum*". Nam lectionem J „*liberatae*" eam ob rem non convenientem esse existimo, quod Hellanicus non auctorem eius se dicere potest, quod tamquam iam factum cogitatur, sed potius eius, quod futurum est. Causa corruptelae „*liberatae*" fortasse id, quod sequitur, „*desertae*" fuit.

Sed venio iam ad eos locos, in quibus iudicium ex re ipsa factum nihil valet, omnia ex auctoritate pendent. Scribendum igitur

esse censeo pro scriptura J a Ruehlio in editione sua posita secundum TΠ in praef. 5 „*ut et*", I 3, 5 „*recepit*", 4, 4 „*filiam suam*"[1], 6, 1 „*sed*", 6, 4 „*esse*", 7, 19 „*brevi post tempore*", 8, 8 „*interfecit*", 9, 18 „*dein*", II 2, 10 „*ibidem*", 6, 1 „*urbis*", 6, 5 „*glandem*", 9, 4 „*quam*", 9, 18 „*tum*", 10, 11 „*tum*", 15, 7 „*Athenis maturari*", III 1, 2 „*vesperi*", 2, 9 „*firmavit*"[2], 3, 5 „*permissum*", 4, 4 „*bellis*", 5, 2 „*captae civitatis*", 5, 3 „*dimicaturi videbantur*", 5, 6 „*fusus*", 5, 10 „*dextro*", 7, 4 „*Periclis*", 7, 14 „*rumpebant*", IV 1, 10 „*hic . . . illic*", 1, 18 „*fuerant*", 2, 3 „*post quem*", V 4, 10 „*ut*", 4, 10 „*contuentur*", 7, 11 „*ruinae*", 8, 4 „*negarunt*", VI 2, 6 „*incessu*", 2, 10 „*fuerunt*", 2, 11 „*regis*", VII 2, 4 „*mutaverit*", 2, 14 „*contenderit*", 6, 2 „*cui*", VIII 2, 2 „*timuerunt*", 2, 10 „*aguntque*", 6, 6 „*spe regni*", XI 1, 10 „*quo facto*", 3, 5 „*increpatis*", 5, 4 „*aras deorum*", 5, 6 „*petitae*", 6, 5 „*electos*", 9, 10 „*sexaginta unum*", 10, 12 „*adplicato*", 11, 1 „*Ciciliamque*", 12, 13 „*adversus*", XII 2, 7 „*et*", 2, 10 „*sepelierant*", 3, 7 „*ut*", 4, 10 „*aliter castra*", 5, 4 „*interdum*", 5, 5 „*Macedoniam*", 6, 15 „*morte*", 7, 3 „*modus*", 15, 2 „*perire*", XIII 1, 1 „*Babylone*", 2, 11 „*teneret*", 3, 2 „*Meleagrum mittunt*", 4, 4 „*agebant*", 5, 2 „*scripserat*", 5, 14 „*obvii*", 6, 3 „*eodem*", 8, 2 „*adrogantiae quam*", XIV 2, 12 „*primum*", 4, 16 „*de se ipse*", XV 2, 2 „*recepit*", 2, 8 „*et ut*", 3, 11 „*quosdam*", 3, 11 „*cursus*", 4, 4 „*a deo*", XVI 4, 2 „*flagitarent*", 5, 11 „*deos*", XXVI 1, 9 „*comprehenderet*", XXVII 2, 12 „*iungit*", 3, 3 „*uti*", XXIX 1, 6 „*suffecerant*", XXXII 3, 3 „*innoxia*", XXXIII 2, 8 „*qui dubia*", XXXV 1, 2 „*infestus*", XXXIX 3, 8 „*equidem*". XVI 4, 2; 5, 11; XXXII 3, 3; XXXIII 2, 8; XXXV 1, 2; XXXIX 3, 8 etiam C testimonio defenduntur.

Possum praeterea etiam alios multos locos afferre, ubi Ruehlius scripturam TΠ, quamquam nulla re, quominus eam servemus, prohibemur, non assumit, sed coniecturae aut aliunde ductae lectioni postponit. Altera pars eorum ita comparata est, ut J prorsus corruptam praebeat scripturam velut I 8, 5; V 1, 5; 10, 7; VI 3, 9; VIII 1, 3; XII 9, 5; XXX 4, 6; in altera parte

---

[1] Cf. XXI 4, 2.
[2] Cf. XXII 4, 3.

illius classis testimonium deest ut II 13, 10; 14, 6; 14, 9; XI 10, 13; XII 10, 7 („*Babylonam*"); 10, 7 („*redit*"); 11, 1. Sed cum haec exempla ad hanc quidem quaestionem non pertineant, de iis alio loco, cum in universum de permultis locis, ubi Ruehlius licere sibi Iustini textum suis vel aliorum commentis immutare putavit, agam, accuratiorem disputationem habere mihi in animo est.

Quoniam ita ad finem perveni, restat iam, ut totius commentationis summam faciam.

Principatum inter libros manu scriptos Iustini obtinet C, quo primum genus codicum efficitur. Reliquorum codicum ratio ita se habet. Omnes tres classes alterius stirpis ex uno quidem fonte fluxerunt, sed *Π* archetypus e codice aliquo, qui artiore vinculo cum C et T archetypo coniunctus erat, correctus pretio auctus est, ita ut ceteras classes vincat.

In adhibendis igitur testibus, qui verba Iustini memoriae produnt, hanc viam ac rationem sequi oportet, ut primo loco testimonium C, etiamsi omnes ceteri libri manu scripti una discrepant, spectandum sit, nisi argumenta ex ipsis locis petita aliam lectionem pro vera habendam esse docent. Iis locis autem, ubi C deest, ex consensu duarum classium J T aut J *Π* aut T *Π*, quid in archetypo secundae codicum familiae exstiterit, colligendum est. Id certissimum, testimonium J solius non maioris, ut fecit Ruehlius, putandum quam consensum T *Π* familiarum.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIBITUR

DE M. IUNIANI IUSTINI CODICIBUS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIII. MENSIS IULII A. MDCCCXC

HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

ADOLPHUS BRUENING

GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

HERMANNUS LEPPERMANN, CAND. PHIL.
AUGUSTUS PREISING, CAND. PHIL.
PAULUS VERRES, DR. PHIL.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

MDCCCXC.

THESES.

I.

Catull. LXIV 24 Antonii Keimeri coniectura: *„progenies, salvete iterum, vel* d i s *placitarum“* maxime probanda est.

II.

Martial. ep. IV 64, 16 verba *„virgineo cruore“* ab Heinsio aliisque viris doctis in suspicionem vocata existimo servanda esse.

III.

Claud. de III. cons. Honor. (VII) 118 scribendum censeo *„culmina“* pro *„carmina“*.

IV.

Soph. Ai. 269 Godofredi Hermanni emendandi conatus: *ἡμεῖς ἄρ᾽ οὐ νοσοῦντος* (pro codicum lectione *νοσοῦντες*) *ἀτώμεσθα νῦν* recipienda est.

V.

Ibid. vv. 1358—67 non recte a Nauckio post v. 1347 transponuntur.

VI.

Eur. Iphig. Aul. vv. 394 et 395 subditicios esse puto.

VITA.

Natus sum Adolphus Bruening Monasterii Guestfalorum a. d. VII. Kal. Octobres anni huius saeculi LXVII., patre Adolpho, matre Ludovica e gente Espagne, quos integris adhuc viribus uti valde gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus per novem annos gymnasii Monasteriensis discipulus fui, quod vere a. h. s. LXXXVI. testimonio quod vocant maturitatis instructus reliqui. Eiusdem anni mense Aprili in numerum civium almae litterarum academiae Monasteriensis receptus per ter senos menses hic, per semel senos Berolini studiis philologicis operam navavi. Denique ad hanc studiorum sedem reversus per ter senos menses seminarii regii philologici sodalis ordinarius fui. Berolini scholas frequentavi VV. DD. Vahleni, Roberti, E. Schmidtii, Ebbinghausii, Fabricii; Monasterii me docuerunt VV. DD. Storck, Langen, Stahl, Spicker, Milchhoefer, Bartholomae, Wuellner.

Omnibus viris bene de me meritis gratias ago ac semper habebo maximas.